DE PLUTARCHI SENTENTIARUM QUAE AD DIVINATIONEM SPECTANT ORIGINE

ACCEDIT EPIMETRUM DE PLUTARCHI QUI FERTUR *ΠΕΡΙ ΕΙΜΑΡΜΕΝΗΣ* LIBELLO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICARDUS SCHMERTOSCH

LIPSIENSIS

LIPSIAE

TYPIS O. BRANDSTETTERI

MDCCCLXXXIX

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM

Cum nostris temporibus permultae prodierint doctissimorum virorum commentationes, quibus vetustiorum Graeciae philosophorum praeceptis nova et clarior lux ex recentioris aetatis scriptoribus allata est, Plutarchi scripta quae moralia dicuntur prorsus neglecta iacent. An putandum est Chaeronensem in eis quaestionibus quae ad philosophiam pertinent de tritissima aequalium scriptorum via decedentem suo Marte philosophatum esse? Tanto ingenii acumine non erat praeditus, ut novas vias patefaceret, sed antecedentium doctrinam in suum usum vertit philosophus popularis. Cuius praeceptorum inconstantia satis docet permultum scriptitantem ne potuisse quidem materiam quam undique congesserat ad unam normam et regulam dirigere. Nam qui de Plutarchi philosophia uberius disputaverunt [1]) ad unum omnes in eo mihi peccasse videntur, quod ex tot Chaeronensis libris in quibus alias sententias sibi repugnare, alias magnopere fluctuare ipsi queruntur [2]), se elicuisse certam Plutarchi doctrinam et sibi et aliis persuaserunt. At nec voluit ille vir, quippe qui multiplices philosophandi rationes accipere soleret, ipse semper idem docere neque id postulabant aequalium cogitationes et voluntates. Hanc conscribendi rationem Ricardus Volkmann Plutarchi biographus, quamvis perspexerit l. l. II p. 3, tamen parum diligenter discrepantes sententias discrevit et, unde eae fluxerint, indagare omnino omisit. Minus caute vel Zeller Plutarcheae doctrinae telam quasi uno filo contextam restituit. Quod uno certe comprobetur exemplo.

De Pyth. or. 7. 20 et de def. or. 9 locis allatis contendit vir doctissimus ph. gr. III 2^3 p. 195 Plutarchum negasse deos ipsos per Pythiam cum hominibus colloqui. Attamen de Pyth. or. 7 aliud agitur. Nam dei cogitationes, quae ab ipso Pythiae suggerantur, pronuntiari non negatur: prava oracula excusantur, quippe quae non ex dei, sed ex antistitae ore profluant. *ἐκεῖνος δὲ*, ait Plutarchus, *μόνας τὰς φαντασίας παρίστησι καὶ φῶς ἐν τῇ ψυχῇ ποιεῖ πρὸς τὸ μέλλον.* Eodem spectant verba cap. 20: *μὴ νομίζωμεν αὐτὸν ἐκεῖνον εἶναι τὸν τὰ ἔπη συντιθέντα*

1) v. Zeller. philos. graec. hist. III 2^3 p. 160^2; add. Ritter philos. hist. IV p. 499 sqq.

2) Volkmann, ‚Leb., Schrift. u. Phil. d. Plut. v. Chaer.' II p. 248 sqq. 294, 307 sqq., 322 sq.

πρότερον, καὶ νῦν ὑποβάλλοντα τῇ Πυθίᾳ τοὺς χρησμούς, ὥσπερ ἐκ προσωπείων φθεγγόμενον. Sola verba oraculorum a deo abiudicantur; sententiae re vera divinae sunt c. 21: *ψυχὴ δὲ ὄργανον θεοῦ γέγονεν* et ibidem p. 404^e legis *δείκνυσι μὲν γὰρ* (scil. *ὁ θεὸς*) *καὶ ἀναφαίνει τὰς αὑτοῦ νοήσεις κτλ.* Idcirco apertis verbis docetur deum, non ipsam Pythiam loqui.

Huic doctrinae prorsus opposita esse verba Lampriae de def. or. 9 p. 414^e nemo infitiabitur. Ibi legimus: 'Si opinaberis ipsum deum in corpora vatum descendere eorumque ore loqui et voce quasi instrumento uti, pueriliter et fatue ages'.

His locis in comparationem vocatis concedes perversam esse Zelleri rationem dissonantes locos ad eandem rem comprobandam adhibentis.

Nolim tamen Plutarcho tales discrepantias nimio opprobrio vertas. Consentaneum enim est eos, qui doctrinas alienas undique congerere easque ad sensum vulgarem accommodare soleant, non posse semper eandem sententiam proferre. Et recte quidem eadem sententiarum varietas excusabitur, si reputaverimus quosdam Plutarchi libros dialogos esse, quibus aliam personam aliud disserentem finxit auctor. Accedit denique temporum ratio: certe aliter Plutarchus iuvenis sensit, aliter senex.

His praemissis, quomodo philosophorum praecepta ex Plutarcho expiscemur, iam erit quaestio. Nimirum non deprehendes eum suorum fontium sententias ad verbum mutuantem, cuiusmodi imitatio in aliis vergentis antiquitatis scriptoribus cernitur, sed alieni ingenii argumenta suis propriis verbis magis obscurantem quam illustrantem[1]). Immo tripartitum quo usus est conscribendi genus lubet notare.

Primum Chaeronensis saepenumero, qua erat doctrina, copias scribendi non subito aliunde arreptas, sed sententias iam dudum memoriae reconditas orationi suae immiscuit. Dein eundem sententiunculis quibusdam in ipso legendo in commentarios relatis memoriam facile labentem fulsisse et Volkmann (l. l. I p. 77) et Adolphus Schmidt ('Pericl. Zeitalter' II p. 55) scite admonuerunt. Hanc conscribendi rationem Plutarchus ipse sincere profitetur de tranq. an 1: *ἀνελεξάμην περὶ εὐθυμίας ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ὧν ἐμαυτῷ πεποιημένος ἐτύγχανον.* Tali excerpto Plutarchus mihi usus esse videtur duobus de Is. et Os. 26 p. 361^b et de def. or. 14 p. 417^c locis, quorum in uno Xenocratis auctoris nomen commemoratur, in altero omittitur; tanta porro necessitudo inter Plut. quaest. conv. IX, 14, 4 p. 745^bc et personati Plutarchi de fato librum 2 p. 566^e intercedit, ut Plutarchum de fato libelli fontem, de cuius Academico colore in epimetro dissertatiunculae adiecto accuratius agemus, non modo no-

[1]) Plane assentior eis quae Robertus Weber nuperrime in diss. de Dioscur. *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ νόμων* libello de hoc Plutarchi scribendi usu disseruit. Stud. Lips. 1888 p. 169 sqq.

visse, sed etiam adhibuisse necesse sit. In his locis haud dubie alia fontis verba mutavit, alia omisit, multa de suo addidit. Quam ob rem ex solo verborum usu vix certi quicquam de eius fontibus enucleabimus.

Idem cadit in tertium compilandi genus quo Plutarchus usus est. Certe, quia Chaeronensis interdum in conscribendo ipsos auctores adiit, hinc origo continuarum et inter se congruentium sententiarum trahenda est. Quas digerere et ad fontes revocare nonne erit operae pretium? Nos quidem, quibus universam sententiarum molem digesturis nec vires nec doctrina suppetunt, ad exiguam tanti operis partem exantlandam accingimur.

De divinatione Plutarchus compluries egit. Scripsit peculiarem *περὶ μαντικῆς* librum nunc deperditum, cuius parvulum frustulum Stobaeus exhibet flor. LX, 10. Haec iactura quodammodo compensatur duobus *Περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων* et *Περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν* voluminibus. In ampliore quod est de oraculorum defectu divinatio a Cleombroto et Lampria, qui in hoc dialogo primas disputationis partes agunt, vel ad daemones hominibus dei voluntatem nuntiantes vel ad terrae exhalationes a daemonibus gubernatas revocatur. In altero autem libello tantum abest, ut daemones oraculis praeponantur, ut toto dialogo ne uno quidem verbo illi genii tangantur: deus Delphicus ipse inspirat suam Pythiam. Hac opinione accepta nonne omnis daemonologia ad irritum redacta est? Nam daemones tanquam ministri deorum introducuntur, ut deis extra mundum positis nullum cum turpitudine hominum commercium sit. Quantopere ab hac opinione altera aberrat, qua deos ipsos per vatum corpora cum hominibus colloqui putatur! Idcirco valde cavendum est, ne diversas utriusque libri sententias confundamus.

Caput I.

De daemonibus deorum voluntatis interpretibus.

Commune quoddam variarum et inter se discrepantium doctrinarum receptaculum est ille de def. or. dialogus[1]). Cuius in priore parte daemonum patrocinium suscepit Cleombrotus. Paucis eius sententiam adumbrabimus, ut eiusdem doctrinae unitas primo obtutu pernoscatur.

Cap. 10 negat hic vir aut omnes et minutissimas res administrari deorum numine aut deos omnino non curare res humanas. Immo inter caeleste et terrenum genera intercedere medium daemonum

[1]) Nuperrime vilissimis de causis quas reicere supersedeo Chevenière (de Plut. famil. Paris. 1886) hunc librum a Plutarcho abiudicavit.

genus. Per hos divinae voluntatis interpretes et ministros hominibus a dis oracula mittuntur. Hoc genus ex hominibus oritur. Nam ex hominum animis, si qui vitam probam et sanctam egerunt, fiunt heroes, ex heroibus daemones; quorum ex numero perpauci virtute praestantiores ad beatam deorum vitam ascendunt. Hi genii deis inferiores natura mortales quidem sunt, sed multo diutius vivunt quam homines. Insunt in daemonibus et divina vis et humanae cupiditates permixtae. Duplex igitur et diversum est eorum genus, alterum bonorum, in quibus paululum resedit libidinis humanae, alterum pravorum, qui daemones facti etiamtunc humana intemperantia laborant. Horum vestigia obscuris quibusdam mysteriis impressa sunt, veluti feriis et sacrificiis, in quibus cruda vorantur, homines discerpuntur, ieiunia instituuntur, pectora planguntur saepiusque obscaena verba audiuntur. Talia sacrificia non dei poposcerunt, sed his placantur genii. Quorum ut iras lenirent aut insanas cupidines exsatiarent, reges et duces suam prolem immolaverunt. Quod porro in fabulis narrantur dei rapuisse, per terram errasse, delituisse, fugisse, hominum ministeria subisse, haec omnia non dis evenerunt, sed geniis. Ergo oracula qua ratione deficiant, ita explanatur, ut daemones oraculorum praefecti aut moriantur aut interdum alio demigrent.

His fere summa eorum continetur quae a Cleombroto de daemonum natura et divinatione disseruntur. Apparet talia disputata esse ex mente philosophi cuiusdam, cui numen divinum nulla turpitudinis macula aut terrestrium malorum contagione posse aspergi sentienti placebat deum supremum per deos natura inferiores, quibus facilius errata quaedam tribuerentur, cum hominibus esse conexum. Sed quis erat auctor huius doctrinae? Quod ut eruamus, Plutarchus ipse nos delegat ad Platonem. Nam cap. 13 p. 416[f] locus Platonici convivii tangitur, ubi (p. 202[e]) Socrati Diotima magica illa mulier qualia sint geniorum et natura et officia explicat: *πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. Τίνα, ἦν δ' ἐγώ, δύναμιν ἔχον; Ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν, ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὐτῷ ξυνδεδέσθαι κτλ.*

Hoc loco Plutarcheae daemonologiae fundamentum iactum vides. Quamquam a Platone ipso, cuius verba quasi praelusio atque praecursio daemonologiam posteriorum excitaverunt[1]), profundior et gravior disciplina qualis exstat apud Plutarchum non exculta est. Nam summus ille philosophus, ut deos populares, quorum cultum religione paterna sancitum ab antiquitate acceperat, verecunde retinuit nec tamen primo loco posuit, ita daemones quoque magis, ut communi opinioni

---

[1]) Magnopere ille symp. locus a posterioribus vexatus est, cuius rei testmonia collegit Otto Iahn in edit. Plat. symp. ad l. l.

se accommodaret, quam ut ipse multum daemonologiae tribueret, in disciplinas suas recepisse videtur. Cf. Zeller. ph. gr. II 1[3] p. 791.

Sed quonam rivulo ex viridibus Platonis pratis profluente hortulos suos irrigavit Plutarchus? Ad hanc quaestionem expediendam iterum Chaeronensis ipse certissimas ansas dat. Etenim cap. 17 ineunte locupletes testes daemonologiae proferuntur Empedocles, Plato, Xenocrates, Chrysippus, qui esse malos genios docuerint. Quocum locus multo gravior de Is. et Os. 25 mire concinit, ubi Plato, Pythagoras, Xenocrates, Chrysippus Orphicorum poetarum[1]) vestigia secuti daemones accepisse narrantur. Quodsi quaerimus, cuiusnam doctrinam mutuatus sit Plutarchus, ex illorum numero statim tres eximuntur: Pythagoras, quia eius genuinam doctrinam Plutarchi aetate praesto fuisse ab omni probabilitate abhorret[2]), Plato, quandoquidem, quantum in Plutarcheo sermone ad eum redeat, nos etiamnunc diiudicare possumus; denique quod ad Empedoclem attinet, Heracleon in ipso dialogo c. 16 p. 418[e 3]) suspicatur ex illius philosophi placitis sumpsisse Cleombrotum daemonum peccata, errores, mortem poenasque. Sed diserte huic opinioni Philippus c. 17 p. 419[a] adversatur. — Restant igitur soli Xenocrates et Chrysippus. Stoici, ut de his primum dicam, cum daemones vulgari opinione acceptos invenirent, eos in suum usum convertisse certis testimoniis confirmatur[4]). Tamen talis disciplina, qualem Plutarchus Cleombrotum explanantem fecit, non modo non congruit cum Stoicorum praeceptis, sed etiam prorsus ab eis abhorret. Quid? divinationem ut defenderent, daemonibus opus erat eis, qui deum et divinam rationem toti mundo et partibus eius innatam esse iudicarent? Immo tali opinioni aperte repugnat ea sententia, quam Cleombroti verbis contineri iam perspeximus. Cave ergo, ne nimium tribuas verbis Cleombroti c. 19 p. 420[a] Stoicorum cum sua doctrina consensum praedicantis. Ideo ne Chrysippi quidem ratione habita, si ulla fides Plutarcho adiungenda est, ad Xenocratem Platonis discipulum delegamur. Cuius de daemonibus doctrina luculentissimo Stobaei testimonio comprobatur ecl. I, 1[29b] p. 36 W.: *Ξενοκράτης (ἀπεφήνατο) . . . θεὸν εἶναι καὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἀστέρας πυρώδεις ὀλυμπίους θεοὺς καὶ ἑτέρους ὑποσελήνους δαίμονας ἀοράτους*[5]).

---

[1]) *Τοὺς πάλαι θεολόγους* Orphicos esse poetas Creuzer Symb. III p. 74 et Curtius Wachsmuth 'd. Ans. d. Stoik. üb. Mant. u. Daem.' p. 32[40] suo iure iusserunt.

[2]) Num Plutarchus subditiciis Neopythagoreorum scriptis usus sit (cf. Diog. Laert. VIII, 24), hoc discernere non penes me est. Sed nihil refert. Nam antiquioris philosophi doctrina ut videbimus dilucide ex Plutarchi verbis enitet.

[3]) Cf. de Is. et Os. 26 p. 361[c].

[4]) Cf. Wachsmuth. l. l. p. 37—39. Zeller, III 1[3] p. 318 sqq.

[5]) Cf. Krische 'Forsch. auf d. Gebiete d. alt. Phil.' I p. 311 sqq. Zeller II 1[3] p. 862 sqq. Wynpersse diatr. de Xenocr. Chalc. Mullach. fragm. ph. gr. III. p. 100 sqq. Si quaeris, quonam libro philosophus Academicus de daemonibus egerit, optima videtur Krischei coniectura, qui suspicatus

Iam Volkmann, cum Xenocratis auctoritatem permultum valere apud Plutarchum perspexisset, opinatus est l. l. II p. 15 Chaeronensis de daemonibus doctrinam cum Xenocratea cohaerere. Sed suo more in hanc rem accuratius non inquisivit.

Manifesta illius Academici vestigia de def. or. cap. 12 ineunte deprehenduntur. Ibidem daemonum naturae explanandae Xenocrates operam navasse dicitur: eum comparasse cum deorum natura triangulum aequilaterum, cum mortali genere triangulum inaequalibus lateribus exstructum, denique cum daemonum natura id triangulum quod duo latera aequalia eaque tertio inaequalia habeat. Eodem capite ille convivii locus, in quo totius daemonologiae versatur cardo, affertur. Haud ergo opinor erravero, si a Platonis Academicorum principis vestigiis investigandis disputationis initium cepero.

Cap. 10 daemones ex hominibus oriri statuitur. Hoc optime concinit cum Phaedri dialogi verbis p. 246^{e}, quibus animae hominum quales ante descensum sint et post recessum daemones nuncupantur. Animarum vero migratio, quae ibidem apud Plutarchum tangitur, quantopere Platoni placuerit, permulti loci docent: Phaed. 81^{e}, Polit. 271^{b}, Phaedr. 248 sq., de re publ. X extr., Tim. 42^{bc}, 91de. Avide hoc dogma arripuerunt Platonis discipuli, de quorum doctrina Chalc. comm. in Tim. 135 (Mull.) conferas.

Paulo fusius de Hesiodeis apud Plutarchum ex Platone ascitis loquar. Ait Cleombrotus eodem capite Hesiodum primum claro et distincto sermone introduxisse quattuor genera eorum qui rationis compotes essent: deorum, daemonum, heroum, hominum genus. Hanc quadripartitionem non ad praeclaras Hesiodi quinque aetates pertinere[1]), sed artificiose enucleatam esse ex versibus op. et di. 110, 122, 172, 176, in quibus deinceps *ἀθάνατοι, δαίμονες, ἥρωες, τὸ νῦν γένος* commemorantur, facile intellegitur. Hac de re dubitari non sinunt ipsius Plutarchi verba apud Eusebium praep. ev. V, 4, 1 pleniora servata: *Ἡσίοδος δὲ καθαρῶς καὶ διωρισμένως πρῶτος ἐξέθηκε τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη· θεούς, εἶτα δαίμονας, εἶτα ἥρωας, τὸ δ' ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώπους, ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολὴν τοῦ μὲν χρυσοῦ γένους εἰς δαίμονας πολλοὺς κἀγαθούς*[2]), *τῶν δ' ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων.* Hinc

---

est Xenocratis daemonologiam alteri *περὶ θεῶν* libro Laert. Diog. IX, 2, 13 insertam fuisse.

[1]) Goettling, quem secutus est Flach, ad op. et di. v. 122 falso contendit a Plutarcho aureum, argenteum, aeneum genera verbis *δαιμόνων πολλῶν κἀγαθῶν* comprehendi.

[2]) Valde miror quod omnes moralium editores Plutarchi haud exigua frustula ab Eusebio servata ita neglexerunt, ut ne his quidem verbis plane necessariis contextum explerint. Wyttenbach nimia qua erat religione verba pleniora solum sub contextu posuit, Reiske Eusebianum supplementum sprevit, apud Duebnerum lacuna hiat. Hoc cum nostrorum dierum luce prorsus sit indignum, in dies vehementius atque ardentius desideratur nova moralium editio quae a Bernardakisio recognita fausto omine prodire iam coepit.

luce clarius apparet secundum Plutarchi sententiam solum aureum genus illam divinitatem nanctum esse. Ab hac interpretatione non dissidet eiusdem Hesiodei loci explanatio Platonica in Crat. p. 397e prolata, ubi aurei generis homines daemones nominantur et paulo ante p. 397d disertis verbis inter daemones heroes homines distinguitur. Eandem interpretationem accepisse Platonicam scholam docet schol. ad op. et di. v. 121 quod sub nomine Procli fertur. Verba sunt Plutarcheis de quibus disseruimus simillima: *Ὄντας δὲ φύλακας τοῦ βίου τῶν ἀνθρώπων δαίμονας καλεῖ παρὰ τὸ δαῆναι τὰ πάντα* (Crat. p. 398b) *ἢ μερίζειν τὰ ἀγαθὰ καὶ κακὰ τοῖς ἀνθρώποις. Ὅμηρος δὲ δαίμονας τοὺς ἀνθρώπους οὐ καλεῖ, ἀλλὰ τοὺς θεούς, Ἡσίοδος* (sic Wyttenbach ad Plut. mor. p. 390e) *δ' εἰς τέτταρα διαιρεῖ τὴν λογικὴν φύσιν· τὴν μὲν πρώτην θεῶν, τὴν δὲ δευτέραν δαιμόνων, τὴν δὲ τρίτην ἡρώων καὶ τὴν τετάρτην ἀνθρώπων. Καὶ τὸ μὲν θεῖον ἡμῖν ἀνεπίμικτον· δαίμονας δὲ τοὺς ἐφορῶντας τὰ ἀνθρώπινα, ὡς καὶ Πλάτων φησίν.* En habes divinationem cum illa quadruplici distributione coniunctam. Simili modo Plato compluries discrevit. Hominum enim genere omisso inter deos, daemones, heroes distinguitur: apol. 28a, legg. V, 738d, VII 799a, 801e, 818c, X 909e; de re publ. III 392a, IV 427b [1]). Omnia porro quattuor genera enumerantur legg. IV 717, ubi legumlator erga Olympios deos, daemones, heroes, parentes summam iubet esse verecundiam. — Alterum indicium coloris Platonici inde lucramur, quod Hesiodi verba quae Plutarchus laudat artius cohaerent cum memoria Platonica quam cum nostra Hesiodea. Op. et di. v. 122 sqq. in editione Koechlyiana ita leguntur:

τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς
ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Sed de def. or. 13 p. 417b Hesiodi daemonibus epitheton *ἁγνοί* datur, quod quamquam frustra apud Ascraeum poetam quaeris, tamen bis Plato in eisdem versibus exhibet de re publ. V 469a:

οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι τελέθουσιν,
ἐσθλοί, ἀλεξίκακοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων,

et Cratyl. 398a (rec. Schanz):

οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ὑποχθόνιοι καλέονται
ἐσθλοί, ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Idem epitheton *ἁγνός* occurrit apud Plutarchum de def. or. 39 p. 431e, de Is. 26 p. 361b.

Nonne in his rebus investigandis Platonicum quendam deprehendimus? Ab eodem fortasse Platonis de compluribus mundis adumbratio (cf. Tim. p. 31ab) aucta et in daemonologiam deducta est: p. 421df. 422a. 423a. Satis haec de Platonicis illius daemonologiae coloribus.

---

[1]) De heroibus et daemonibus cf. commentationes quas Wachsmuth l. l. p. 29[39] contulit.

Quae cum ita sint, tamen Platonicae origini repugnare videntur non pauca indicia, quae magis Pythagoream quam Platonicam prodant. Non dico animarum migrationem et daemonum ministeria — nam talia Platonici quoque docebant — sed insulsissima numerorum artificia capp. 11. 12, quae nimis illorum doctrinam sapiant. Nam versibus Hesiodi quibus de nympharum aetate[1]) agitur allatis daemones per 9720 annos perdurare statuitur. Hic numerus secatur in membra $10 \times 4 \times 3^5$ in se hasce illustres et praeclaras virtutes habentia: primum membrum est sacra decas Pythagoreorum, secundum est quaternio, quam eidem magni faciunt, quoniam ex primis quattuor paribus et primis imparibus in unam summmam collectis tetractys efficitur (Plut. de Is. 76 p. 382ᵃ), tertii denique membri numeri sunt primi impares inde a monade. En mira Pythagoreorum artificia (v. Zeller. I⁴ p. 366 sqq. Chalc. in Tim. 35 sqq.). Nec vero prorsus alienum est hoc genus philosophandi, quod nobis puerile et lusorium videtur, a Platonis successoribus, quippe qui Pythagoreorum vestigia adeo presserint, ut numerorum doctrinam propagarent et mysticis rebus magnopere studerent (Zeller IIa³ 848 sqq.). Quid? quod Ioannes Lydus (de mens. III, 7 p. 37 Schow.) de Xenocrate tradidit *οἰκειότατος καὶ προσφυὴς ὁ ἐννέα ἀριθμὸς τῇ Σελήνῃ· οὗτος γὰρ ἑαυτὸν γεννᾷ κατὰ Ξενοκράτην· ἀόριστος γὰρ ἡ ἄχρις ἐννεάδος πρόβασις καὶ πλήθει σύνοικος*? Insuper cf. Plut. de an. procr. in Tim. c. 11 sqq. De harum rerum Xenocratea origine quamvis adhuc dubitare liceat, tamen nulla dubitatio de aliis vestigiis Chalcedonii remanebit.

De Is. et Os. 26 p. 361ᵇ narrat Plutarchus Xenocratem philosophum nefastos dies et ferias, in quibus verbera planctus ieiunia mali ominis voces usurparentur, non deis, sed malis daemonibus assignasse. Idem placitum de def. or. 14 p. 417ᶜ omisso auctoris nomine ita exstat, ut non solum singulae sententiae, sed etiam ipsa verba congruant cum Xenocrateis. Ne longus sim, duos locos ex adverso ponam adiciamque alios quoque de def. or. libelli locos cum illo capite, quod vel extremum ad Xenocratem redire videtur, mirum quantum consentientes.

de def. 14	de Is. 26
de def. 14: *ἑορτὰς δὲ καὶ θυσίας, ὥσπερ ἡμέρας ἀποφράδας καὶ σκυθρωπάς, ἐν αἷς ὠμοφαγίαι καὶ διασπασμοί, νηστεῖαί τε καὶ κοπετοί, πολλαχοῦ δὲ πάλιν αἰσχρολογίαι πρὸς ἱεροῖς, μανίαι τε ἀλαλαί τε ὀρινόμεναι ῥιψαυχένι σὺν κλόνῳ, θεῶν μὲν οὐδενί, δαιμόνων δὲ φαύλων ἀποτροπῆς ἕνεκα φήσαιμ᾽ ἂν τελεῖσθαι μειλίχια καὶ πα-*	de Is. 26: *Ὁ δὲ Ξενοκράτης καὶ τῶν ἡμερῶν τὰς ἀποφράδας, καὶ τῶν ἑορτῶν ὅσαι πληγάς τινας ἢ κοπετοὺς ἢ νηστείας ἢ δυσφημίας ἢ αἰσχρολογίαν ἔχουσιν, οὔτε θεῶν τιμαῖς, οὔτε δαιμόνων οἴεται προσήκειν χρηστῶν, ἀλλὰ εἶναι φύσεις ἐν τῷ περιέχοντι μεγάλας μὲν καὶ ἰσχυράς, δυστρόπους δὲ καὶ σκυθρωπάς, αἳ χαίρουσι τοῖς*

[1]) Mortales esse nymphas tradunt Plin. hist. nat. XXV, 7 (37), 75; IX, 5 (4), 9. Serv. ad Verg. ecl. X, 62, Nemes. de nat. hom. 1, p. 21 ed. Antw.

ραμύθια· καὶ τὰς πάλαι ποιουμένας ἀνθρωποθυσίας οὔτε θεοὺς ἀπαιτεῖν ἢ προσδέχεσθαι πιθανόν ἐστιν, οὔτε μάτην ἂν ἐδέχοντο βασιλεῖς καὶ στρατηγοί, παῖδας αὑτῶν ἐπιδιδόντες καὶ καταρχόμενοι καὶ σφάττοντες, ἀλλὰ χαλεπῶν καὶ δυστρόπων ὀργὰς καὶ βαρυθυμίας ἀφοσιούμενοι καὶ ἀποπιμπλάντες ἀλαστόρων· ἐνίων δὲ μανικοὺς καὶ τυραννικοὺς ἔρωτας, οὐ δυναμένων οὐδὲ βουλομένων σώμασι καὶ διὰ σωμάτων ὁμιλεῖν. Ἀλλ' ὥσπερ Ἡρακλῆς Οἰχαλίαν ἐπολιόρκει διὰ παρθένον, οὕτως ἰσχυροὶ καὶ βίαιοι δαίμονες, ἐξαιτούμενοι ψυχὴν ἀνθρωπίνην περιεχομένην σώματι, καὶ διὰ σωμάτων ὁμιλεῖν οὐ δυνάμενοι ταύτῃ, λοιμούς τε πόλεσι καὶ γῆς ἀφορίας ἐπάγουσι, καὶ πολέμους καὶ στάσεις ταράττουσιν, ἄχρις οὗ λάβωσι καὶ τύχωσιν οὗ ἐρῶσιν. c. 13. οἱ δαιμόνων γένος μὴ ἀπολείποντες .... τὴν ἑρμηνευτικήν, ὡς Πλάτων ἔλεγεν, καὶ διακονικὴν ἀναιροῦσι φύσιν. et infra Τοὺς δὲ πάνυ σεμνῶς ὁ Ἡσίοδος ἁγνοὺς προσεῖπε πλουτοδότας καὶ τοῦτο γέρας βασιλήιον ἔχοντας. c. 16. τὸ δὲ τοῖς δαίμοσι τούτοις, μονονουχὶ ῥάγδην λαμβάνοντας ἐκ τῶν ἐπῶν τῶν Ἐμπεδοκλέους, ἁμαρτίας καὶ ἄτας καὶ πλάνας ... ἐπιφέρειν θρασύτερον ἡγοῦμαι.

τοιούτοις, καὶ τυγχάνουσαι πρὸς οὐδὲν ἄλλο χεῖρον τρέπονται· τοὺς δὲ χρηστοὺς πάλιν καὶ ἀγαθοὺς ὅ τε Ἡσίοδος ἁγνοὺς δαίμονας καὶ φύλακας ἀνθρώπων προσαγορεύει πλουτοδότας καὶ τοῦτο γέρας βασιλήιον ἔχοντας. Ὅ τε Πλάτων ἑρμηνευτικὸν τὸ τοιοῦτον ὀνομάζει γένος καὶ διακονικόν, ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, εὐχὰς μὲν ἐκεῖ καὶ δεήσεις ἀνθρώπων ἀναπέμποντας, ἐκεῖθεν δὲ μαντεῖα δεῦρο καὶ δόσεις ἀγαθῶν φέροντας. Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ δίκας φησὶ διδόναι τοὺς δαίμονας, ὧν ἂν ἐξαμάρτωσι καὶ πλημμελήσωσιν.

Nonne de def. or. fragmenta quaedam Xenocratis sine auctoris nomine paene ad verbum exscripta deprehendimus? Hac re suspicio movetur reliquam quoque disputationis partem in qua de daemonibus agitur Xenocratis argumentis et verbis abundare. Atque re vera de Is. 25, ubi eius mentio inicitur, mire cum reliqua de def. or. libelli daemonologia consentit. Hos quoque locos afferam.

de def. 15. Καὶ μὴν ὅσας ἔν τε μύθοις καὶ ὕμνοις λέγουσι καὶ ᾄδουσι, τοῦτο μὲν ἁρπαγάς, τοῦτο δὲ πλάνας θεῶν, κρύψεις τε καὶ φυγὰς καὶ λατρείας, οὐ θεῶν εἰσιν, ἀλλὰ δαιμόνων παθήματα, καὶ τύχαι μνημονευόμεναι δι' ἀρετὴν καὶ δύναμιν αὐτῶν· 13. Παράδειγμα δὲ τῷ λόγῳ Ξενοκράτης μέν, ὁ Πλάτωνος ἑταῖρος, ἐποιήσατο

de Is. 25. Βέλτιον οὖν οἱ τὰ περὶ τὸν Τυφῶνα καὶ Ὄσιριν καὶ Ἶσιν ἱστορούμενα, μήτε θεῶν παθήματα, μήτ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ δαιμόνων μεγάλων εἶναι νομίζοντες, οὓς καὶ Πλάτων καὶ Πυθαγόρας καὶ Ξενοκράτης καὶ Χρύσιππος, ἑπόμενοι τοῖς πάλαι θεολόγοις, ἐρρωμενεστέρους μὲν ἀνθρώπων γεγονέναι λέγουσι καὶ πολλῇ τῇ

τὸ τῶν τριγώνων, θείῳ μὲν ἀπεικάσας τὸ ἰσόπλευρον, θνητῷ δὲ τὸ σκαληνὸν, τὸ δ' ἰσοσκελὲς δαιμονίῳ· τὸ μὲν γὰρ ἴσον πάντῃ· τὸ δ' ἄνισον πάντῃ· τὸ δὲ πῇ μὲν ἴσον, πῇ δ' ἄνισον, ὥσπερ ἡ δαιμόνων φύσις ἔχουσα καὶ πάθος θνητοῦ καὶ θεοῦ δύναμιν . . . . Εἰσὶ γὰρ, ὡς ἐν ἀνθρώποις, καὶ δαίμοσιν ἀρετῆς διαφοραὶ καὶ τοῦ παθητικοῦ καὶ ἀλόγου, τοῖς μὲν ἀσθενὲς καὶ ἀμαυρὸν ἔτι λείψανον, ὥσπερ περίττωμα, τοῖς δὲ πολὺ καὶ δυσκατάσβεστον ἔνεστιν, ὧν ἴχνη καὶ σύμβολα πολλαχοῦ θυσίαι καὶ τελεταὶ καὶ μυθολογίαι σώζουσι καὶ διαφυλάττουσιν ἐνδιεσπαρμένα. 21. *Οὕτως* (scil. *ὡς τὰ περὶ Πύθωνα καὶ Διόνυσον) ἔχειν καὶ τὰ Τυφωνικὰ καὶ τὰ Τιτανικά· δαιμόνων μάχας γεγονέναι πρὸς δαίμονας, εἶτα φυγὰς τῶν κρατηθέντων ἢ δικαιώσεις ὑπὸ θεοῦ τῶν ἐξαμαρτόντων, οἷα Τυφὼν λέγεται περὶ Ὄσιριν ἐξαμαρτεῖν καὶ Κρόνος περὶ Οὐρανον, ὧν ἀμαυρότεραι γεγόνασιν αἱ τιμαὶ κτλ.*

δυνάμει τὴν φύσιν ὑπερφέροντας ἡμῶν, τὸ δὲ θεῖον οὐκ ἀμιγὲς οὐδ' ἄκρατον ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ ψυχῆς φύσει καὶ σώματος αἰσθήσει συνειληχὸς, ἡδονὴν δεχομένῃ καὶ πόνον, καὶ ὅσα ταύταις ἐγγενόμενα ταῖς μεταβολαῖς πάθη, τοὺς μὲν μᾶλλον, τοὺς δ' ἧττον ἐπιταράττει. Γίνονται γὰρ, ὡς ἐν ἀνθρώποις, καὶ δαίμοσιν ἀρετῆς διαφοραὶ καὶ κακίας. Τὰ γὰρ Γιγαντικὰ καὶ Τιτανικὰ παρ' Ἕλλησιν ᾀδόμενα, καὶ Κρόνου τινὲς ἄθεσμοι πράξεις, καὶ Πύθωνος ἀντιτάξεις πρὸς Ἀπόλλωνα, φυγαί τε Διονύσου καὶ πλάναι Δήμητρος οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν Ὀσιριακῶν καὶ Τυφωνικῶν, ἄλλων τε ὧν πᾶσι ἔξεστι μυθολογουμένων ἀκούειν· ὅσα τε μυστικοῖς ἱεροῖς περικαλυπτόμενα καὶ τελεταῖς, ἄρρητα διασώζεται καὶ ἀθέατα πρὸς τοὺς πολλοὺς, ὅμοιον ἔχει λόγον.

Iam vides, quomodo Plutarchus suam rem gesserit. Transtulit ex schedulis suis frustula quaedam Xenocratea in proprios libros ita, ut suae argumentationi Xenocrateam scientiam adaptaret. Immixtae sunt ergo etiam res a Chalcedonio alienae. Velut quispiam in dubitationem vocarit, num isti Typhones, Titanes, Gigantes, quibus pravis daemonibus iniqua nocendi vis tribuitur, ad ipsum Academicum redeant. Sed peropportune accidit, ut testimoniis aliunde petitis haec exempla iam attulisse Xenocratem statuatur. Edocemur enim Olympiodori commentario ad Phaed. scripto carcerem, quo homines contineri Plato ibid. p. 62^b docet, ab eiusdem discipulo *φρουρὰν Τιτανικήν* appellatam esse. Quo autem spectent obscura Neoplatonici verba *ἡ φρουρά . . . . . ὡς Ξενοκράτης, Τιτανική ἐστι καὶ εἰς Διόνυσον ἀποκορυφοῦται,* quae vel Zellero (II 1 ^{3}p. 882^2) explicandi difficultatem praebuerint, facillime intelleges Plut. loco de esu carn. I, 7 comparato[1]). Ibidem Plutarchus sine dubio praecepta quaedam Xenocratis in suum usum convertit[2]), quippe qui exordio capitis, ut solet in primario fonte ad-

---

[1]) Quo iure Ritter hist. phil. antiqu. IV p. 510^2 dubitaverit, num illae duae de esu carnium oratiunculae genuinae sint, me ignorare profiteor; meo iudicio quamvis obtruncatae tamen germanum Plutarchi ingenium spirant.

[2]) Iam Volkmann II p. 15 animadvertit Plutarchum potuisse in hac de esu carnium quaestione Chalcedonii vestigia premere, quippe qui *περὶ*

hibendo, strictim Xenocratem commemoraverit; extremo vero capite versibus quibusdam Empedoclis respectis [1]) animae mortalibus corporibus ob caedem et esum carnium illigatae comparantur cum vinctis Titanibus, qui postquam dilacerata Dionysi membra comederunt, a Jove in Tartarum coniecti sunt. Hinc apparet vetustam Orphicorum fabulam (Lobeck. Aglaoph. p. 555 sqq. 696 sqq.) a Xenocrate adhibitam esse ad animarum terrenam condicionem explanandam. Hoc satis docent Plutarchi verba p. 996 [c]: *τὸ γὰρ ἐν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἄτακτον καὶ βίαιον, οὐ θεῖον, ἀλλὰ δαιμονικὸν οἱ παλαιοὶ Τιτᾶνας ὠνόμασαν, καὶ τοῦτό ἐστι κολαζομένου καὶ δίκην διδόντος.* (Cf. Dio. Chrys. or. XXX p. 550 R. Lobeck. p. 566).

Ex illo Plutarchi loco iam cognovimus, qua ratione Xenocrates psychologiam Platonicam fabulis illustraverit [2]). Plutarcho teste (de Is. 25) Academicus imprimis Orphicorum carmina in suum usum convertit [3]). Haud dubie adiit etiam Hesiodi, cuius frustula in Plutarchea daemonologia dispersa Platonico cuidam iam assignavimus, Titanomachiam (theog. 617—742) et Gigantomachiam (cf. Preller. mythol. gr. I [3] p. 58 [1]). In his fabulis usurpandis munivit Chalcedonius vias Stoicis vestigia eius sequentibus [4]). A quibus similes fabulas ad physicas res translatas esse ex Posidonio Cicero testatur de nat. deor. II, 28, 70: ‘accepimus deorum cupiditates, aegritudines, iracundias, nec vero, ut fabulae ferunt, bellis proeliisque caruerunt . . . ., ut cum Titanis, ut cum Gigantibus sua propria bella gesserunt’. Quid? quod Plutarchus quoque de daemonibus disserens saepissime et Titanos et Gigantes commemorat? Ab eodem de Is. 27 Dionysus et Hercules boni daemones nominantur. Nonne hi deis in Titanomachia subvenerunt? (v. Preller. myth. gr. I [3] p. 59). Adversariis vero deorum accesserunt Gigantes, Cronus, Typho, Pytho, quos pravos daemones (de def. 21. de Is. 25) Terra peperisse dicitur. (v. Preller pp. 39. 55. 57. 194.) Huc nonne optime quadrat Tertulliani testimonium ad nat.

τῆς ἀπὸ τῶν ζώων τροφῆς scripsisset. (Cf. Clem. Alex. strom. VII 32.) Apertius quid iudicarit philosophus Academicus de esu carnium elucet ex Porphyr. de abstin. IV, 22. (Cf. Bernays ‘Theophrastos Schrift über Frömmigkeit’ p. 31. 158). Hoc Xenocratis iudicium quodammodo concinit cum Plutarcheo de esu carn. II 1. 4.

[1]) Nescio an in integra oratione attulerit Chaeronensis eosdem huius poetae versus quos de exil. 17. p. 607 [c] adhibuit. Cf. Mull. frag. ph. gr. I 1 v. 1—9.

[2]) Cf. H. Stein hist. Platon. II p. 150 [1,2].

[3]) Cf. supra p. 5 [1].

[4]) Zeno Citiensis conditor Stoicae disciplinae scholas frequentavit Xenocratis Timocrate (Diog. Laert. VII 2) et Numenio (Euseb. pr. ev. XIV, 5, 11) testibus. Cf. Zeller. III, 1 [3] p. 29 [1]; p. 27 [1]. Disertis verbis Stobaeus ecl. I, 1, 29 [b] p. 37 W. affirmat Xenocratem *τοῖς Στωικοῖς χορηγῆσαι.* Quin etiam Platone praeeunte (Tim. 90 [a c]), ut Stoici (v. Zeller III a [3] p. 319). docebat *τὴν ψυχὴν ἑκάστου εἶναι δαίμονα* (Aristot. top. II, 6 p. 132 [a] 36).

II, 2: 'Xenocrates Academicus bifariam facit (formam divinitatis) Olympios et Titanios qui de Caelo et de Terra'?[1])

Paucis ea quae hucusque nancti sumus complectamur. Ex ampliore quadam daemonologia Xenocratis summum deum ullo humano tactu contaminari denegantis deprompsit Plutarchus eos daemones, qui de def. or. secundum Platonis symp. inter deos et homines intercedentes oracula administrant. Disertis verbis ille philosophus arithmeticis et geometricis studiis deditus illorum trium generum discrimen formis geometricis delineavit. Idem praeceptoris de duplici anima doctrina accepta et aucta distinxit inter bonos et malos daemones (cf. Zeller II 1^3 p. 874). Ita cum a Platone profectus iam firma daemonologiae fundamenta iecisset eiusque nova adminicula fortasse a Pythagoreis petivisset, hanc doctrinam Orphicorum, Hesiodi, Empedoclis versibus exornavit et confirmavit: cf. locos p. 8 sq. allatos. Haec omnia Platonicae disciplinae incrementa tam arte cohaerent cum daemonologia Plutarchea, ut haec illis sublatis ipsa iam corruerit. De una tamen quaestione, quae in Cleombroti argumentatione gravissima est, nondum est disceptatum. An tribuit iam ille philosophus Academicus daemonibus mortalitatem? Plutarchum quidem de oraculorum defectu acturum tale quid excogitasse vix credideris, cum mera figmenta prorsus ab illius ratione abhorreant. Sed quis primus iussit daemones esse mortales? Multum haud dubie non abest hoc dogma a Xenocratis ratione de def. or. 416^d daemonibus *πάθος θνητοῦ καὶ θεοῦ δύναμιν* assignantis. Nam, ut et pravitas et pernicies in natura daemonum insit, aperte postulatur p. 418^f. Sed hoc repugnare videtur Platonicae de animae immortalitate doctrinae, a qua non aberrasse videtur Platonicorum inconstantia[2]). In hac dubitatione nescio an iterum recte confugiamus ad Platonis symposion, ubi p. 202^d docetur naturam *Ἔρωτος μεγάλου δαίμονος* interesse *μεταξὺ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου*[3]). Haec verba si argute interpretamur, facile daemones non prorsus mortalitatis expertes nominantur. Hoc quomodo intellegendum sit, unus ex magna Platonicorum turba Porphyrius prodit, utpote qui de abstin. II, 39[4]) daemonum *πνεῦμα, ᾗ μέν ἐστι σωματικόν, παθητικὸν*

---

[1]) Hoc discrimen in memoriam revocat duas mundanae animae partes alteram bonam, alteram malam, quae iam in Platonis legg. X p. 896^e discernuntur. Cf. Stallb. adnot. ad h. l.

[2]) Daemonibus immortalitatem tribuerunt: Max. Tyr. diss. XV, 5. Apul. de deo Socr. 13. dial. Asclep. 5. Philo de somn. I p. 638. 640 Mang. Plotin. enn. III, 5, 6. Chalc. in Tim. 130. 134.

[3]) Similiter in Tim. 41^b caelestibus dis immortalitas quidem, sed opificis voluntate constricta datur. Hoc dogmate quantopere Platonici vexati sint, disces ex Procli comm. ad. l. l. Insuper cf. person. Plat. epin. pp. 981^b. 982^a.

[4]) Tota haec Porphyrii daemonologia eximiam quandam cum Xenocratea affinitatem prae se fert. In ipsa Neoplatonici narratione, qua pronuntiantur *ἃ δ' οὖν τῶν Πλατωνικῶν τινες ἐδημοσίευσαν* (cf. *l.* l. 36), agnosces Xenocratis sublunares daemones divinationis participes et id discrimen quod inter bonos et pravos daemones intercedere ille statuerat.

καὶ φθαρτόν esse notaverit. Subsequentia quoque addantur, *τῷ δὲ ὑπὸ τῶν ψυχῶν οὕτως δεδέσθαι, ὥστε τὸ εἶδος αὐτῶν διαμένειν πλείω χρόνον, οὐ μήν ἐστιν αἰώνιον.* His verbis nonne daemonibus species quaedam tribuitur, cuius mutatio mors appellatur? Clarior lux huic dogmati affulgebit ex ineptissimis eiusdem Neoplatonici verbis in Procli comm. in Tim. p. 12[cd], ubi cremari posse genios eisque crematis cinerem restare hariolatur. Spectat igitur daemonum mors, quoniam eis crematis corporeum quoddam restare dicitur, solum ad aetherea illorum geniorum corpora.

Haec doctrina illustratur quodammodo Plutarchi libello, quo agitur de facie in orbe lunae. Namque c. 28 sqq. Sulla quidam his fere verbis auditoribus admirationem movet: Hominis natura in tres partes dividitur, corpus, animam, mentem[1]). Omnis anima sive carens sive praedita mente, simulatque ex corpore exiit, fati lege coacta in ea mundi regione, quae interest inter terram et lunam, vagatur, donec ad lunam pervenerit. Unde animae iam daemones facti in terram descendunt, ut oracula administrent, sacris mysteriis intersint, scelera ac flagitia hominum puniant, periclitantibus terrae marique subveniant[2]). Quibus in rebus gubernandis si quid peccaverint aut ira aut studio pellecti, rursus in corpora detruduntur[3]). Nec vero tametsi vires geniorum non perennes sunt, quoniam certo temporis spatio peracto bonorum mens ab anima secernitur, tamen ipsi genii non pereunt. Nam illorum mens ad solem, unde profecta est[4]), redit (pp. 944[e] 945[c]). Hoc modo genii *ἄχρις τοῦ δευτέρου θανάτου διατελοῦσιν* (p. 942[f]). At obiciat quispiam: Quid hoc ad Xenocratem? Contra hunc singulos locos cum illius daemonologia vel psychologia congruentes sub contextu iam notavi. Insuper p. 945[b] inter pravos daemones Tityi, Typhones, Pytho[5]) habentur: cf. supra p. 9 sq. Quid mirum, si in media narratione Chalcedonius bis a Plutarcho laudatur? Uno loco p. 943[f] sententia, quae de lunae natura profertur, Xenocrate teste confirmatur: *Ταῦτα δὲ καὶ Ξενοκράτης ἔοικεν ἐννοῆσαι θείῳ τινὶ λογισμῷ τὴν ἀρχὴν λαβὼν παρὰ Πλάτωνος,* altero p. 944[a] Plutarchus eiusdem philosophi de solis, lunae, terrae substantiis doctrinam sine dubio ad verbum attulit. Certissimum igitur habemus testimonium, unde cognoscamus Plutarchum hunc libellum scribentem Xenocratis physica

---

[1]) Ut iam Plato in Tim. (p. 30b) *νοῦν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν ἐν σώματι* esse docuerat, ita Plutarchus quoque de gen. Socr. 22 Timarchum quendam in Trophonii antro similia comperisse tradidit. Quam doctrinam ad Xenocratem redire Schoemann suspicatus est in opusc. I p. 372.

[2]) Cf. De def. or. 13 p. 417b.

[3]) De def. or. 10 p. 415c impotentiores ipsi se demittunt in corpora humana.

[4]) Mentem animae *θύραθεν εἰσκρίνεσθαι* Xenocrates docuerat. Cf. Aet. plac. V, 5, 11. p. 392 Diels.

[5]) Sic cum Muhlio (stud. Plut. Aug. Vind. 1885 p. 40) pro altero *Τύφων* scribendum est.

praecepta ante oculos habuisse. Accedunt alia. Nam fabella, quam de def. or. 18 Demetrius de Saturno in deserta Britanniae insula a Iove somni vinculis constricto et a demonibus non immortalibus circumvolato[1]) narrat, de fac. 26 a Sulla illo plenior profertur. Hos locos, ut statim perspiciatur, quae ratio inter eos intercedat, in conspectu ponam.

de fac. 26	de def. 18
de fac. 26: *ὧν ἐν μιᾷ τὸν Κρόνον οἱ βάρβαροι καθεῖρχθαι μυθολογοῦσιν ὑπὸ τοῦ Διός, τὸν δὲ Βρίαρεων* (scripsi; libri *ὡς υἱόν*)[2]) *ἔχοντα φρουρὸν τῶν τε νήσων ἐκείνων καὶ τῆς θαλάττης, ἣν Κρόνιον πέλαγος ὀνομάζουσι, πέραν κατῳκίσθαι* (sic Dübner, libri *παρακάτω κεῖσθαι*)[3]). *αὐτὸν μὲν γὰρ τὸν Κρόνον ἐν ἄντρῳ βαθεῖ περιέχεσθαι ἐπὶ πέτρας χρυσοειδοῦς καθεύδοντα, τὸν γὰρ ὕπνον αὐτῷ μεμηχανῆσθαι δεσμὸν ὑπὸ τοῦ Διός ....* *τοὺς δὲ δαίμονας ἐκείνους περιέπειν καὶ θεραπεύειν τὸν Κρόνον, ἑταίρους αὐτῷ γενομένους, ὅτε δὴ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἐβασίλευσεν.*	de def. 18: *Ἐκεῖ μέντοι μίαν εἶναι νῆσον, ἐν ᾗ τὸν Κρόνον κατεῖρχθαι φρουρούμενον ὑπὸ τοῦ Βριάρεω καθεύδοντα· δεσμὸν γὰρ αὐτῷ τὸν ὕπνον μεμηχανῆσθαι, πολλοὺς δὲ περὶ αὐτὸν εἶναι δαίμονας ὀπαδοὺς καὶ θεράποντας.*

Haec fabula etsi Britannia nominata in certa regione fixa est, tamen non Britannorum fabula, sed merum commentum habendum est (cf. Muellenhoff 'Deutsche Altertumsk.' I p. 416[2]). Quae unde originem traxerit, fortasse Platone collato (Tim. 24[e] Critia 108[e]) apparebit. Nam simili modo atque apud Plutarchum Saturnium illud mare traiectu difficile et caenosum est propter permulta flumina quae ex ignota quadam terra humum afferentia mare crassum et terrenum reddunt, apud Platonem mare ad occasum situm oblutum ex submersione Atlanticae insulae ortum innavigabile putatur. Tales fabulas perquam adamavit vetus Academia. Quid? quod 'ex eadem Platonis schola puerilibus fabulis refersit libros suos Heraclides' (Cic. de nat. deor. I, 13, 34)? Cf. Krische 'Forsch.' I p. 330 sq. Idem Platonis Aristotelisque discipulus permiras res narravit (v. Zeller. II 1[3] p. 886[1]). Crantor porro Academicus illam de Atlantica insula fabulam, quam alii *μῦθον εἶναι καὶ πλάσμα* putabant, *ἱστορίαν ψιλὴν εἶναι* sibi persuaserat (Procl. in Tim. 24[ab]). Quin etiam ut Speusippus de Apolline Platonis patre

---

[1]) Qua ratione iam aurea aetate daemones cum Saturno cohaeserint, ex Platone (legg. IV p. 713[d]) discimus.

[2]) Verba tradita *τὸν δὲ ὡς υἱὸν ἔχοντα φρουρόν* corrupta esse iam Wyttenbach perspexit. Nec vero felici ingenio corruptelam sanavit scribendo *τὸν δὲ ὡς ὕπνον ἔχοντα φρουρόν*. Nam somno Saturnus non custoditur, sed vinctus est. Cur ergo dubitamus Briarei custodis nomen, quod alter de def. or. locus suppeditat, substituere deleto isto *ὡς υἱόν*?

[3]) Cf. M. Treu. Z. Gesch. d. Überl. v. Plut. Mor. II p. 20.

fabulatus erat (cf. Laert. Diog. III, 1, 2), sic Xenocrates Pythagoram quoque Apolline natum esse affirmaverat, siquidem Iamblicho de vit. Pyth. II, 7, cuius testimonio Rohde (mus. Rhen. 27 p. 23 sq.) fidem derogavit, credere vis. Mihi quidem talis narratio a Chalcedonii ratione, quippe qui nimium mysticis rebus studuerit, non videtur abhorrere. Eidem illam de Saturnio et daemonibus fabellam assignare non dubito.

Haec omnia si reputaverimus, sane summa cum veri similitudinis specie contendemus illam alteram mortem, qua daemones oraculis quibus praesunt eripiuntur, non discordare, sed optime concinere cum placitis Xenocratis. Accedit, quod duo philosophi Xenocratis aetate superiores, quorum dogmata hic fortasse in suum usum convertit, simile quoddam de daemonibus statuerunt. Nam de imaginibus Democriti, quas cum daemonibus confundit Plutarchus (de def. or. 17 p. 419[a]), Sextus Empiricus adv. math. IX, 19 perspicue tradit: *εἶναι δὲ ταῦτα μεγάλα τε καὶ ὑπερφυῆ, καὶ δύσφθαρτα μέν, οὐκ ἄφθαρτα δὲ, προσημαίνειν τε τὰ μέλλοντα τοῖς ἀνθρώποις, θεωρούμενα καὶ φωνὰς ἀφιέντα.* Idem fere in Empedoclem cadit, cuius philosophi pythagorissantis doctrina Xenocratem usum esse ex locis supra p. 8 sq. inter se collatis et comparatis apparuit. Hic daemones non sempiternos, sed *μακραίωνας* nominavit (cf. Plut. de def. or. 20 p. 420[d]. Mull. fragm. ph. gr. I p. 1 v. 5).

His argumentis opinor demonstravimus, quod nobis erat propositum. Summa illius quaestionis, qua de def. or. divinatio ad daemones revocatur, partim aperte ex Xenocratis daemonologia sumpta est, partim artissimis vinculis cum ea cohaeret.

Restat, ut ea, quae Plutarchi auctoritati imputanda esse credimus, paucis persequamur. Primum unusquisque perspiciet ad illum redire argumentorum dispositionem et dialogi indolem. Deinde totam narrationem Plutarchi ipsius additamentis omnis generis, quae laxiore nexu cohaereant cum daemonologiae argumentis, ubique scatere mihi quidem persuasum est. De suo fortasse addidit sacerdos Delphicus quae c. 15 de usu quodam Delphico narrantur. Porro nonnullae cum Stoicis et Epicureis[1]) contentiones propter temporum rationem a Xenocrate abiudicandae genuinum sapiunt Plutarchi ingenium c. 12. 19. 20. Ad Stoicam Hesiodi interpretationem haud dubie spectant Demetrii verba c. 11 nymphas usque ad *τὴν ἐκπύρωσιν* perdurare opinantis. Unde vero fabulae de Aglaonice c. 13[2]), de Molo c. 14 et mira illa narratio de interitu magni Panis Plutarchea ubertate relata in dialogum manaverint, nequeo indagare[3]). Paulo certius prodire potest iudicium de divino isto viro c. 20 propter mare rubrum habi-

---

[1]) Cf. Bernays 'Theophr. Schr. üb. Fröm.' p. 140, Usener Epic. p. 369.

[2]) Cf. Plut. coniug. praec. 48.

[3]) Simile nautarum commentum refert Plinius quoque ad Tiberii aetatem hist. nat. IX, 5 (4), 9.

tante. Qua fabula commonemur earum, quas Neopythagorei et Neoplatonici de Pythagora, Platone, Apollonio Tyanaeo finxerint. Nec tamen talia commenta omnino abhorrere ab indole ac ratione veteris Academiae modo diximus. Et ea quidem quae Cleombrotus se ex illo praestigiatore [1]), qui daemonum familiaritate usus esset, audivisse refert, optime quadrant, ut iam intelleximus, ad scientiam Xenocrateam.

Neque vero illis diversis et variis pannis, quibus undique sumptis suam sibi vestem consuit Plutarchus, resectis integram Xenocratis telam retexere licet: quantum inclinaverit ad Xenocratem, satis demonstrasse est.

Neque huius loci erit perscrutari, quibus subsidiis Plutarchus in illa de mundorum numero quaestione c. 24—38 (cf. Plat. Tim. 31 [ab]) usus sit, utpote quae parum subtiliter cum filo reliquae de oraculis disputationis conexa sit. Pauca tamen, quae in posteriore huius libelli parte exstant, ut addamus, res ipsa postulat. Cum enim c. 38 quaeratur, quanam usi facultate genii vates divino furore impleant, hanc rem Ammonius ita explanat: Daemones sunt animae corporis vinculis solutae et aerio vestimento indutae. Hae alias animas corporibus amictas attingendo de rebus futuris certiores faciunt. Similiter nos nobis non voce, sed et litteris et tactu et oculorum obtutu multas res praeteritas significamus et futuras praedicimus. — In his nonne iam Academicam doctrinam agnovisti? In eodem fundamento haud dubie exstructa est Plutarchi de daemonio Socratis disputatio, ubi Simmias qui Socratis discipulus disputans inducitur eandem fere sententiam defendit, quippe qui de Socratis genio haec verba faciat: *τὸ δὲ προσπῖπτον οὐ φθόγγον, ἀλλὰ λόγον ἄν τις εἰκάσειε δαίμονος, ἄνευ φωνῆς ἐφαπτόμενον αὐτῷ τῷ δηλουμένῳ τοῦ νοοῦντος* [2]). Atque huius doctrinae Academica origo vetustiore testimonio comprobatur, cum simillime de daemonum divinatione decreverit auctor epinomidis [3]). Daemones, p. 985 [c] inquit, *ὅπῃ τινὲς ἐνέτυχον ἡμῶν ἢ καθ' ὕπνον ἐν ὀνειροπολίᾳ προστυχόντες, ἢ κατὰ φήμας τε καὶ μαντείας λεχθέν τισιν ἐν ἀκοαῖς ὑγιαίνουσιν ἢ καὶ κάμνουσιν, ἢ καὶ τελευτῇ βίου προστυχέσι γενομένοις* res futuras pronuntiant. Tamen interest aliquid inter hunc et illum locum, quod hic vocibus quoque geniorum tribuitur vis divinandi.

Hactenus de divinatione quae a dis daemonum ministerio hominibus mittitur.

---

[1]) Ipse Plutarchus Lampriam c. 23 p. 422 [d] detegentem facit miram istius peregrini homines doctrinam ex multis et variis Graecanicae philosophiae disciplinis quasi centonem consarcinatam esse.

[2]) In vetere Academia fortasse iam ficta sunt ista Socratis daemonii monita quale exstat apud Plut. de gen. Socr. 10. Similia in personati Platonis Theage dialogo extremo narrantur.

[3]) Quanta affinitas inter Xenocrateam et epinomidis doctrinam intercedat, perspexit Wolff. Porphyr. de phil. ex orac. haur. p. 221. Praeterea doctrina epin. p. 984 [de] cum Stobai everbis ecl. I, 1, 29 [l] conferenda est.

Caput II.

De divinatione animis humanis insita atque innata.

Ab illa Cleombroti de divinatione sententia, quam in universum ad Xenocratem rettulimus, multum distat altera, cuius patrocinium Lamprias c. 39 sqq. suscepit. Etenim, quamquam Lamprias ad Cleombroti doctrinam inclinat, initium disputandi tantummodo ab ea capit: via qua progreditur prorsus est alia et paene contraria. Haec est eius conclusio: 'Si in animis a corporibus seiunctis vis quaedam divinandi inest, eadem vis in eis animis, quae corporibus continentur, necessario invenitur'. Quid? hac ratiocinatione nonne omnis de daemonibus doctrina funditus deletur? Nam, si animis humanis iam insita est facultas divinandi, eam extrinsecus inferri prorsus est supervacaneum. Quod quam verum sit, satis docet explanatio Lampriae quae sequitur. Nam in proximis capitibus ne uno quidem verbo daemonum mentio fit. Demum c. 48 Ammonio aliisque interlocutis Lamprias audaci remedio discrepantias, quas inter utramque sententiam intercedere c. 46 Ammonius sagaciter detexit, submovere conatur: utramque doctrinam in unam contrahit infelicissimo ingenio. Nam quanam necessitate postulatur, ut terrae exhalationibus, quibus divina animorum vis excitatur, daemones tanquam *ἐπιστάται καὶ περίπολοι καὶ φύλακες* praeponantur?

Videamus nunc qualis sit illa divinatio quae daemonum ope careat: 'Praesensio rerum futurarum, quamquam per se inest in humanis animis, tamen corporis voluptatibus obscurata raro apparet. Ut recordatione res praeteritas animo tenemus, ita divinatione futuras antecapimus. Haec augurandi vis praevalida est, si in somniis et mysteriis corpus purgatur aut ita temperatur, ut animus insanus a rebus praesentibus quam maxime remotus casus futuros praevideat[1]). Talis corporis temperatio *ἐνθουσιασμός* vocatur. Praeter hanc affectionem animi quae ex corpore ipso paritur altera est quae efficitur divino quodam anhelitu. Nam vires aliae perniciosae, aliae salubres insitae sunt terrae. Inde divini spiritus in corpus humanum intrantes calore suo *τοὺς πόρους* divinandi facultate praeditos aperiunt'.

Quaerentibus, qui fuerint huius doctrinae auctores, in memoriam sine dubio primum Stoici redigentur, qui omnibus divinationis generibus probatis[2]) docebant animum humanum per sese praevidere, quippe

---

[1]) p. 432c Wachsmuthio suadente pro *ἢ τό* post *λαμβάνοντος ὥστε* et cum Wyttenbachio *ἐπιστρεφόμεναι* scribimus.

[2]) Cf. Wachsmuth 'Die Ansichten der Stoik. über Mant. u. Dämon.' p. 12 sqq.

qui deorum cognatione teneretur (Cic. de div. I, 30, 64.) Sed caute procedamus oportet. Nam Lampriae verbis quae ad insipientiam vaticinantium spectant tanquam fundamentum subesse videtur Platonica sententia (Tim. 71[e]): μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν· οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς, ἀλλ' ἢ καθ' ὕπνον τὴν τῆς φρονήσεως πεδηθεὶς δύναμιν ἢ διὰ νόσον ἢ διά τινα ἐνθουσιασμὸν παραλλάξας (cf. Phaedr. 244[d] et similiter de poetico furore dicta in legg. 719[c], in Ione 534, in apol. 22[c]). Apparent ergo vestigia cuiusdam philosophi ad Platonem inclinantis. Nec vero hoc nostrae suspicioni obstat. Nam divinationem tractantes Stoici non discordarunt cum Platone (cf. Aet. plac. V, 1, 1 Diels. p. 415).

Sed Peripateticae quoque doctrinae exstant non pauca indicia. Optime enim concinunt quae c. 39 de recordandi et divinandi facultate animae humanae exponuntur cum primo capite eius Aristotelici libelli, in quo ille philosophorum princeps de memoria egit. Scatet porro tota Lampriae narratio et verbis et formulis, quae in Stagiritae physicis scriptis inveniantur. Duo sunt quos ille distinxit terrae anhelitus: τὴν ἀτμίδα καὶ τὴν ἀναθυμίασιν. Cf. ipsius verba meteorol. I, 3 p. 340[b] 27: ἔστι γὰρ ἀτμίδος μὲν φύσις ὑγρὸν καὶ θερμόν, ἀναθυμιάσεως δὲ θερμὸν καὶ ξηρόν· καὶ ἔστι ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ, ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ. Quo cum placito aperte cohaeret scientia Plutarchea. Ipse laudatur Aristoteles c. 44 p. 434[b] et metallorum defectus ad τὴν ἀναθυμίασιν quae terrae ingignitur revocatur. Quibus haec adduntur: Ταὐτὰ δὴ περὶ μαντικῶν πνευμάτων διανοητέον. Hoc modo τὸ μαντικὸν ῥεῦμα καὶ πνεῦμα de def. or. 40 p. 432[e] refertur ad Aristotelicam ἀναθυμίασιν. Nunc ad locum quem ex meteorologicis attulimus respiciamus. Ibi exhalationi naturali calida et sicca vis tribuitur. Hoc nonne optime quadrat ad Plutarchi divinum spiritum, quo in anima ξηρότης μετὰ τῆς θερμότητος excitatur? Cf. c. 41 p. 432[f]. Huc accedit, quod apud Chaeronensem furor ille, quo divinantis anima cieatur et moveatur, non solum calidis, sed etiam frigidis efficitur (p. 432[f], 433[a]), quibus elementis sicca et humida opponuntur: siccitas solum cum calore animo ingeneratur, humor, qui non acuat, sed hebetet animum, prorsus excluditur. Hoc aperte consentit cum Aristotelis doctrina naturali: calida et frigida sunt τὰ ποιητικά, sicca autem et humida τὰ παθητικά (meteorol. IV, 1 p. 378[b] 12 sq.) Nolim porro id exemplum neglegas, quo apud Plutarchum illa animae temperatio illustratur. Nam, quomodo stannum cum aere conflетur, in comparationem vocat Stagirites de gen. et corr. I, 10 p. 328[b] 8 sq., de ort. an. II, 7 p. 747[b] 3.

Haec sunt Peripateticae doctrinae vestigia. Quid igitur? convertitne Plutarchus in suum usum huius disciplinae praecepta? Aristotelem et Dicaearchum τὸ κατ' ἐνθουσιασμὸν γένος μαντικῆς probasse tradidit Aetius in plac. V, 1, 4. Sed cautissime Aristoteles divinationem tetigit in libris servatis. In lepidis libellis quibus de somniis et de divinatione somniantium egit somnia divina esse omnino ne-

gavit (de div. per. somn. 2 p. 463b 13 sqq.) Somnia ei nihil aliud videntur nisi imagines quae perpaulum mutatae iam in vigilantibus animis fuerunt. Trifariam discernit somnia p. 463ᵃ 30: οὕτω μὲν οὖν ἐνδέχεται τῶν ἐνυπνίων ἔνια καὶ σημεῖα καὶ αἴτια εἶναι· τὰ δὲ πολλὰ συμπτώμασιν ἔοικεν. Neque his sobrie dictis, quae nos maxime alliciunt, repugnant ea quae apud Sextum Empiricum adv. math. IX, 20 sqq. de divinandi facultate somniantium et morientium legimus. Nam haec verba haud dubie non ab ipso Aristotele, sed a persona quadam eiusdem dialogorum prolata sunt[1]). Scite adumbravit genuinam Stagiritae sententiam Chalc. in Tim. c. 248. Dicaearchi discipuli Aristotelis mentionem facit Cicero de div. I, 3, 5, ubi philosophorum Graecorum de divinatione placita paucis recensuit. Inde discimus eum cetera divinationis genera sustulisse, somniorum et furoris reliquisse eademque ratione Cratippum Peripateticum et Ciceronis familiarem usum esse. Haec Peripateticorum doctrina aliis quoque locis Tullianis commemoratur. Legimus enim de div. I, 50, 113: 'Nec vero unquam animus hominis naturaliter divinat, nisi cum ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore; quod aut vatibus contingit aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur et, ut dixi, a Cratippo nostro'. Quocum concinit alter locus de div. II, 48, 100, secundum quem eidem Peripatetici censebant esse in mentibus hominum tanquam oraculum quoddam ex quo futura praesagirent, si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus solute et libere moveretur.

Quis est qui neget eandem sententiam a Plutarcho in c. 40 receptam esse? Attamen, ne eum Peripateticorum vestigia pressisse credamus, prohibemur permultis et planissimis Stoicorum doctrinae indiciis.

Ut a gravissimis ordiamur, monendum est Stoicos praeter Heracliteam imprimis Aristotelis doctrinam physicam in suam psychologiam deduxisse. Hac in re perscrutanda maximo mihi usui erat luculentissima Siebeckii commentatio quae 'Die Umbild. d. peripat. Naturph. in die der Stoik.' inscripta est[2]). Vertamus igitur animos ad illa apertiora Stoicae doctrinae vestigia quae exstant apud Plutarchum. Nonne eiusdem τὸ μαντικὸν ῥεῦμα καὶ πνεῦμα θειότατον καὶ ὁσιώτατον, quod κρᾶσιν ταῖς ψυχαῖς ἐμποιεῖ (p. 432ᵉ), affinitatem quandam habet cum Stoicorum divina anima, quae per totum mundum permanans hominum quoque corporibus immisceatur? Cf. apud Stob. ecl. I, 1, 29ᵇ (I p. 37 W.) Stoicorum πνεῦμα ἐνδιῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. Supra iam vidimus in anima calore divinandi vim excitari. Quid? quod secundum Stoicos calore toti mundo insito omnia moventur et aguntur (cf. Cic. de nat. deor. II, 9 sqq.)? Hic calor a Stoicis πνεῦμα vocatur[3]). Eodem ardore apud Plutarchum p. 432ᶠ anima ἔνθερμος καὶ πυρώδης

---

[1]) Cf. Bernays. 'D. Dial. d. Arist.' p. 104 sq. et Zeller. IIb³ p. 551⁴.
[2]) 'Untersuch. zur Phil. der Griech.' 1888² p. 226 sqq.
[3]) Cf. Stein. 'Die Psychol. der Stoa' p. 32.

redditur sive τὸ πνεῦμα λεπτυνόμενον (h. e. anima) fit αἰθερῶδες καὶ καθαρόν. Haec epitheta Stoici animae dabant (v. Zeller III, 1[3] p. 195[2]). Porro notum est, quanti eadem schola Heraclitum aestimaverit. Cuius de sicca anima dogma ad divinantis animae statum illustrandum adhibetur c. 41 ipso philosopho laudato. Insuper, ut leviora quoque attingam, iam Heraclitus siccam et optimam animam cum fulgure ex nube emicante comparaverat (cf. Plut. Rom. 28). Similis comparatio de def. or. 432[a] usurpatur. Nec praetermittendum censeo iam Ephesium illum duas ἀναθυμιάσεις distinxisse, ἃς μὲν λαμπρὰς καὶ καθαράς, ἃς δὲ σκοτεινάς (cf. Laert. Diog. IX, 1, 9). Hanc duplicem terrae exhalationem accepit Plutarchus p. 432[d]. Hactenus de Heraclito. Neque a Stoicorum physica ratione abhorrent quae c. 43 p. 433[e] leguntur. Stoici enim Apollinem et solem unum eundemque esse non negaverant. (v. Zeller III 1[3] p. 328). Hoc qui affirment ait l. l. Plutarchus eos probabiliter Apollini et Terrae commune oraculum assignare: nam sole terrae ingenerari illam vaporum temperiem et exhalandi vim.

In his cum nihil reperiatur, quod a Stoicorum doctrina alienum esse dicas, aliqua etiam exstant vocabula eorum psychologiae propria. Huc cadit usus verborum περίψυξις, πύκνωσις, στόμωσις p. 433[a 1]), κρᾶσις καὶ διάθεσις p. 432[de], 433[e], διάχυσις p. 432[e], ἀνάμιξις καὶ σύγχυσις p. 432[a], σύγκρασις καὶ σύμπηξις p. 433[d]. Nam illi philosophi de mixturis disputantes discreverunt inter παράθεσιν μῖξιν κρᾶσιν σύγχυσιν[2]).

His exemplis allatis omnis credo evanescet dubitatio de Stoica Lampriae sapientiae origine. Sed spero fore ut etiam de eius auctore certiora eliciantur. Haud dubie deprehendimus vestigia posterioris Porticus eclecticam rationem amplexantis. Mirus ille cum Platonis Timaeo consensus quem c. 40 agnovimus delegat nos ad Posidonium, qui peculiarem commentarium in illum dialogum scripsit[3]). Aristotelem vero Apameensis, qui geographicis et historicis disciplinis fere totum se dederat, permagni faciebat[4]). Nec mirum, si Plutarchus ex quinque illius philosophi libris, in quibus de divinatione disputavit[5]), paucula excerpsit. Hac in quaestione firmas ansas nobis suppeditat primus Ciceronis de divinatione liber, cuius materia et argumenta quin ad Posidonium redeant, post luculentas Schichei et Hartfelderi commentationes[6]) nemo dubitabit. Ut reliqui Stoici, Posidonius quoque inter duo divinationis genera unum artis particeps, alterum expers distinxit.

---

[1]) Cf. Plut. de com. not. Stoic. 46 p. 1084[d], de Stoic. repugn. 41 p. 1053[d], de prim. frig. 2 p. 946[c].

[2]) cf. Ar. Didym. ap. Stob. ecl. I, 17 Dielsii doxogr. p. 463; Stein, 'Psych.' 36[44].

[3]) Cf. Bakei Pos. Rhod. rel. p. 238 sq. et de Platonicis quae insunt in Posidonii psychologia Corsseni de Pos. Rhod. diss. p. 15.

[4]) cf. Strab. II, 3, 8 p. 104 (Bake Pos. Rhod. rel. p. 83).

[5]) Cic. de div. I, 3, 6.

[6]) Schiche de font. libr. Cic. qui sunt de divin. 1875; Hartfelder 'Die Quellen v. Cic. 2 Büch. de div.' 1878.

Hoc naturale genus, quod a Plutarcho c. 40 describitur, hic Stoicus ita definit: de div. I, 57, 129[1]): 'A natura autem alia quaedam ratio est, quae docet quanta sit animi vis seiuncta a corporis sensibus, quod maxime contigit aut dormientibus aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se quid quisque sentiat ...., sic animi hominum, cum aut somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt.' Haec omnia cum non dissentiant a Plutarchi verbis, alia quoque verba Ciceronis optime spectant ad illas terrae exhalationes, quibus apud Plutarchum divinatio movetur. Nam l. l. I, 36, 79: 'di immortales', inquit Quintus Stoicae doctrinae defensor, 'ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt, quam tum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant; nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Quid enim? non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis et in Asia Plutonia quae vidimus et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignant, alia quae retunsa: quae omnia fiunt ex caeli varietate et ex disparili adspiratione terrarum'. Similiter Quintus, postquam de furibunda vaticinantium mente disseruit, l. l. 50, 115 pergit: 'Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracla funderent.' Quibus cum Tullianis locis mire conspirare verba Plutarchi de def. or. 40 p. 432[d] quis non perspiciet? Quin etiam illa quaestio, quae Plutarchei libri summa est, apud Ciceronem eodem modo explicatur l. l. 19, 38: 'Potest autem vis illa terrae quae mentem Pythiae divino adflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam evanuisse et exaruisse amnes aut in alium cursum contortos et deflexos videmus' (cf. Plut. de def. or. 43 p. 433[f]).

Omnia igitur Plutarchea optime quadrant ad Apameensem. Psychologiam quidem Posidonii novisse Plutarchum certissimum est[2]). Quidni frustula quaedam illius doctrinae in suum usum converterit? At manifesto repugnant communi Stoicorum de mundi incendio et interitu opinioni[3]) verba capitis 43, quibus *ἡ γῆ ἀΐδιος καὶ ἄφθαρτος* nominatur. Hic in memoriam revocandum est Plutarchum fontium suorum doctrinam non ad verbum exscripsisse, sed ex more suo multa mu-

[1]) Wachsmuth l. l. p. 26 sqq.

[2]) Fragm. de anim. I, 6 p. 700 Wytt., de an. procr. in Tim. 22 p. 1023[b].

[3]) Ab eodem decreto ne Posidonius qnidem aberravit. Diog. Laert. VIII, 142. Quo cum testimonio non discordat Philo de incorr. mundi 15, ut Hirzel ('Untersuch. zu Cic. phil. Schr.' I p. 225 sqq.) opinatus est. Nam postquam a Bernaysio verba *Βοηθὸς γοῦν καὶ Ποσειδώνιος*, quae vulgo apud Philonem legebantur, ex codice Mediceo in *Βοηθὸς γοῦν ὁ Σιδώνιος* restituta sunt, gravissimum Hirzelii argumentum corruit: cf. Zeller III 1[3] p. 575[3].

tasse. Qua re factum est, ut l. l. aperte Stoicis adversetur. Cf. ipsius verba p. 433 f: *Αὐτὴν μὲν οὖν τὴν γῆν ὥσπερ Ἡσίοδος ἐνίων φιλοσόφων βέλτιον διανοηθεὶς πάντων ἕδος ἀσφαλὲς προσεῖπεν, οὕτω καὶ ἡμεῖς καὶ ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον νομίζομεν.* Insuper ut solet Posidonianis argumentis permulta aliena immiscet velut illam de Coreta pastore fabulam c. 42.

Sed, ne cui de Posidonio a Plutarcho expilato adhuc scrupulus restet, addamus locos quosdam libri de Pyth. or., quibus tacitus auctor eiusdem philosophi vestigia sine dubio pressit. Ut leviores disputationis portiunculas (c. 5, 6, 12) Stoicam argumentationem redolentes, quae forsitan a Plutarcho ipso ex sua Stoicae doctrinae scientia additae sint, omittamus, accuratius inquirendum est in c. 8. Ibi a Philino Stoicorum doctrina admissa contenditur donaria Delphica non inania et sensu vacua, sed repleta esse omnia divinitate. Hoc dogma, quod Posidonio quoque placebat (cf. Stob. ecl. I, 1, 20 b; I p. 34 W.) initio Plutarchei capitis comprobatum est serie ostentorum, ex quibus duo apud Ciceronem de div. I, 34, 75 pleniora narrantur. Sermo est de Lysandri statua ante pugnam Leuctricam subito corona agrestium herbarum ornata et de aureis Dioscurorum stellis quae ante eandem pugnam evanuerunt. Nonne veri simillimum est Plutarchum Philino suo aperte Stoicam argumentationem tribuentem ex immensa farragine exemplorum historicorum, quibus Stoici suam doctrinam confirmare solebant[1]), locupletiora quaedam ad Delphica donaria spectantia elegisse? Tale quid ante eum iam Cicero fecerat. Sed concedam non iam extra omnem dubitationem positum esse hoc loco Plutarchi fontem fuisse Posidonium. Quid? si alter locus accedet, de quo certius prodibit iudicium? Cap. 11 Serapion alter Stoicae doctrinae defensor Boethum Epicureum qui oracula risit redarguere conatur tribus oraculis, quibus futurae res accuratissime praedictae sint. Haec oracula aperte post eventum ficta iam a Posidonio in suam rem versa esse mihi his de causis persuasum est. Primum de claudicatione Agesilai oraculum antiquitati fuit notissimum. Nam versibus compositum invenitur apud Plutarchum de Pyth. or. 11 et in vita Ages. 3 et in vita Lys. 22 et ap. Paus. III, 8, 5; idem pedestri sermone iam apud Xenoph. hellen. III, 3, 3 legitur[2]). Quod in Stoica oraculorum corpora receptum esse iure licet sumere. Certiora originis indicia altero oraculo porriguntur, quod ex Romanorum historia petitum quo minus iam Posidonio praesto fuerit, res in eo pronuntiatae non prohibent. Nam spectat ad bella Romanorum contra Carthaginienses et contra Philippum Macedonum regem eodem fere tempore gesta et ad Hieram insulam subito ex mari emersam olymp. $145\,^{3}/_{4}$[3]). De hac insula primum a Rhodiis occupata Posidonium Rhodium uberius scripsisse

---

[1]) Wachsmuth l. l. p. 18 sqq.
[2]) Cf. Hendess de orac. Graec. diss. Hall. 1880 p. 73.
[3]) Cf. Euseb. chron. edit. Schoen. II, 124 sq.

memoriae prodiderunt et Strabo (I, 16 p. 57) et Seneca (nat. quaest. II, 26, 4). Quod vero caput est, hoc eventum vaticiniis praedictum esse refert Trogus (Iust. epit. hist. Phil. 30. 4), qui imitando Posidonii vestigia pressit. Narrat enim 'inter insulas Theram et Therasiam[1]), medio utriusque ripae et maris spatio terrae motum fuisse et repente ex profundo insulam emersisse. In Asia quoque eodem die eundem motum terrae Rhodum multasque alias civitates gravi ruinarum labe concussisse, quasdam solidas absorbuisse[2]). Quo. prodigio territis omnibus vates cecinisse: oriens Romanorum imperium vetus Graecorum et Macedonum voraturum'. Audisne his verbis prolatis versus Plutarchei oraculi *ἡ δὲ στηρίξεται αὐτοῦ, οὐ φατὸς ἀνθρώποις νῆσος· καὶ χείρονες ἄνδρες χερσὶ βιησάμενοι, τὸν κρείσσονα νικήσουσιν*? Porro quod ad tertium oraculum attinet a Plutarcho leviter tactum, quo bellum Romanorum cum servis gestum praesagitur, id permultum valere debebat apud Posidonium, qui cum Pompeio altero servorum victore intima familiaritate coniunctus erat (v. Bake l. l. p. 15 sqq.). Itaque nullus dubito, quin hoc de Pyth. or. loco Posidonii vestigia deprehenderimus. Atque etiam hoc animadvertendum est, quod eodem capite extremo Posidoniano more[3]) Epicurea doctrina impugnatur. Nam ibidem similis Epicurei irrisio invenitur, qualem Posidonius ap. Cic. de div. I, 13, 23 et de nat. deor. II, 37, 93 de scepticis Academicorum et Epicureorum placitis protulit.

Age circumspiciamus, quomodo factum sit, ut Plutarchus a Posidonio potissimum Stoicae doctrinae imaginem peteret. Credo ei praecepta illius philosophi maxime arrisisse, quippe qui omni fere doctrina imbutus eclecticam quandam rationem Plutarcheae simillimam adhibuisset. Ita triplici modo somniantium divinationem explicuit ap. Cic. de div. I, 30, 64: 'uno, quod provideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur, altero, quod plenus aer sit inmortalium animorum, in quibus tanquam insignitae notae veritatis appareant, tertio quod ipsi di cum dormientibus conloquantur'. Ad eandem doctrinam spectant verba Ciceronis de div. II, 58, 119. Nonne vides iam a Posidonio daemones in suam de divinatione doctrinam admissos esse? Sed prorsus abhorrere hoc placitum a Stoicorum de divinitate mentis humanae decreto iam supra commemoravimus (cf. p. 5). Primus Stoicorum, quantum scio, Persaeus Zenonis discipulus homines morte defunctos inter deos reposuit (cf. Cic. de nat. deor. I, 15, 38). Eodem loco narratur Chrysippum magnae deorum turbae homines quoque, qui divinitatem essent assecuti, adiunxisse. Hac in re haud dubie Stoici vulgari de heroibus et daemonibus opinioni se accommodabant (v. Wachsmuth l. l. p. 36). Quod cum

---

1) Cf. Strab. *ἀνὰ μέσον γὰρ Θήρας καὶ Θηρασίας* et Plut. *ἣν ἀνῆκεν ἡ πρὸ Θήρας καὶ Θηρασίας θάλασσα.*

2) Cf. Strab. *ἐν δὲ τῇ Φοινικῇ φησι Ποσειδώνιος γενομένου σεισμοῦ κτλ.*

3) Cf. comm. Procli Diad. in prim. Euclid. elem. libr. p. 199 sq. edit. Friedl.

iam vetustiores magistri Porticus fecissent, quidni posteriores a pristino scholae rigore iam multum regressi ad Academicam de daemonibus sententiam quam iam tractavimus inclinaverint? Ad hos refero Stobaei testimonium ecl. II, 7, 5^{b12} (II p. 67 W.): *εἶναι δὲ τὴν μαντικήν φασιν ἐπιστήμην θεωρητικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν καὶ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον συντεινόντων.* Apparet autem Posidonii quidem daemones, quos in libris qui inscripti erant *περὶ ἡρώων καὶ δαιμόνων* depinxerat, Academico colore tinctos fuisse (cf. Macrob. sat. I, 23.). Tribuit enim illis 'ex aetherea substantia partam atque divisam qualitatem', qualem etiam epinomidis auctor primo daemonum generi assignavit p. 984^{be}. Iam intellexeris, in quantam doctrinarum inconstantiam dilapsa sit posterior Porticus diversissimas rationes ad divinationem comprobandam arripiens. Quid mirum, si Plutarchus eandem viam ingressus ad Posidonium tanquam patronum se applicavit?

Caput III.

De oraculis a deo ipso inspiratis.

Mire dissonat a libri qui est de defectu oraculorum sententiarum et doctrinae varietate argumentandi simplicitas eius libelli qui de Pythiae oraculis conscriptus est. Neque per deos natura inferiores hominibus mittitur divinatio neque augurandi vis animae humanae innata est, sed Apollo ipse, qui supremi numinis instar *ὁ θεός* appellatur (c. 7, 20, 21), de caelo descendens per Pythiam futuras res praesagit. Hanc vetustam esse Graecorum opinionem et communi religione sancitam quis nescit? Nec miramur hanc opinionem a Plutarcho, qui ipse Delphico oraculo praepositus fuerit[1]), acerrime defendi. Ad hoc Chaeronensis sacerdotium aperte spectant verba c. 29 p. 409^{c}: *καίτοι φιλῶ μὲν ἐμαυτὸν ἐφ' οἷς ἐγενόμην εἰς τὰ πράγματα ταῦτα πρόθυμος καὶ χρήσιμος μετὰ Πολυκράτους καὶ Πετραίου κτλ.*[2]), si quidem sub

---

[1]) Volkmann I p. 54: an sen. ger. 4. 17. quaest. conviv VII, 2, 2. V, 2, 4. Accedit locus gravissimus an sen. 20 p. 794^{b} quem Sauppe de amphict. Delph. Gotting. 1873 p. 12 ita restituit: *τὸ πρόσχημα τῆς Ἀμφικτυονίας ἥν μοι* (libri *σοι*) *διὰ τοῦ βίου παντὸς ἡ πατρὶς ἀνατέθεικεν.*

[2]) Petraeus cuius ibi mentio inicitur, haud dubie is est, qui praemiis ludorum Pythiorum distribuendis praefectus Plutarchum sodalem convivio excepit in quaest. conv. V, 2. — Muhl (stud. Plut. p. 46) Theonem qui de Pyth. or. loquitur vivum ac natum hominem, qui ad veritatem a Plutarcho expressus esset, opinatus eum fuisse archontem Delphicum ex verbis allatis collegit et sequentia verba p. 409^{c} *φιλῶ δὲ τὸν καθηγεμόνα ταύτης τῆς πολιτείας γενόμενον ἡμῖν καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκφροντίζοντα καὶ παρασκευάζοντα* cum Wyttenbachio ad Plutarchum [illegible] perversa est ratio Muhlii, qua omnes Plutarchi [illegible] nomine

Theonis prima dialogi persona qui haec verba facit Plutarchum ipsum latere in propatulo est. Sed quam ob causam suscepit pontifex Delphicus patrocinium veteris cultus religiónisque? Ut olim fuerant qui deo Pythio sive ambigua sive obscura oracula opprobrio darent, ita tum alii exstiterunt qui deum propter breviora et simpliciora oracula accusarent c. 5 sq. 30. Qui autem fuerunt hi oraculorum vituperatores? Hoc disces ex c. 7, unde elucet Epicureos esse adversarios, quibuscum Plutarchus digladiatur. Horum arcem sceptica ratione defendit Boethus, quem in castra Epicuri transiturum esse p. 396^{d} legimus. Hic scepticorum more Stoicam Serapionis conclusionem pervertit c. 5. Porro, ut Cicero Clitomachi vestigia premens[1]) (de div. II, 54, 110) Sibyllinis oraculis fidem abiudicat, ita Boethus eadem oracula c. 9 in irrisionem vocat. Haec est ratio principis Epicureorum. 'Nam nihil Epicurus tam irridet quam praedictionem rerum futurarum' (Cic. de nat. II, 65, 162). Hoc loco et de div. II, 23, 51 idem philosophus cum Carneade sceptico uno spiritu nominatur[2]). Haec crimina, quae ab illo in oracula illata atque haud dubie ab eius sectatoribus recocta erant, Chaeronensis tritis Stoicorum argumentis refellere studebat: cf. supra p. 22. Nec tamen absona est suspicio Plutarchum sedem dei Pythii a Cynicis quoque defendisse. Nam luculenter ostendit Wendland[3]) non pauca eorum criminum a

---

significatas eosdem Chaeronensis amicos fuisse et vixisse contendit. Quemadmodum, ut Theonem Aegyptium (cf. de fac. 25 p. 939^{c}) et Theonem Phocensem (cf. non pos. 18 p. 1099^{ef}) eosdem faciat, fingit Theonem in Aegypto natum in Phocaicam civitatem receptum esse. Immo huic merae coniecturae aperte repugnat, quod Theo, qui in libello 'non poss.' disputans inducitur, ib. c. 24 p. 1104^{a} *νέος* nominatur ita, ut putandum sit Theonem iam puerum vel adulescentulum Phocensem factum esse. Apage istas nugas. Nam Plutarchi Theones sive non eidem (cf. cons. ad ux. 7 et de aud. poet. 3) sive fictae sunt personae, qualis ille est de Pyth. or. Theo, cuius persona et tempora non accuratius adumbrantur. Huic rei documento est, quod apud Graecos nomen Theo tanto in usu erat, ut vel in tritissimis philosophorum formulis usurparetur (cf. Plut. quaest. Rom. 30, de com. not. 7, Sext. Emp. adv. math. V, 104, Chrysipp. ap. Phil. de incorr. mund. 9 p. 501 Mang.). — Praeterea Muhlium omnino fugit verba Theonis quae ad Plutarchum rettulit summa cum probabilitate iam ab Heinzeo ('Sachl. Comm. z. Plut. pyth. Schr.' p. 22) ad Hadrianum imperatorem, qui Apollinis oraculum de Homeri patria consuluit et ab Amphictyonibus statua honoratus est (cf. Boeckh. C. J. I n. 1713), relata esse. Quibus honoribus Plutarchus ab illo Romanorum imperatore affectus sit, colligi potest ex Euseb. chron. p. 164 Schoene: *Πλούταρχος Χαιρωνεὺς φιλόσοφος ἐπιτροπεύειν Ἑλλάδος ὑπὸ (Ἀδριανοῦ) τοῦ αὐτοκράτορος κατεστάθη γεραιός*. Praeterea notum est Hadriani benevolentia resurrexisse Delphicum oraculum, quod antea obmutuerat. (Cf. G. Wolff de ultim. orac. aet. p. 5). Huc optime quadrat revivescens oraculi celebritas quam Plutarchus c. 29 summis laudibus praedicat. Quod si ita est, insperata lux affulsit quaestioni, quo tempore ille libellus scriptus sit, quoniam cum Hadriano regnante a Plutarcho sene editum esse apparet.

[1]) Hartfelder l. l. p. 14 sqq.

[2]) Cf. Useneri Epic. p. 261 sq.

[3]) 'Berl. Phil. Wochenschr.' 1887 p. 1271 sq.

Plutarcho refutari, quae ab Oenomao Cynico apud Eusebium (pr. ev. V) in ipsum Apollinem iacta sint. Atque notas fuisse Plutarcho simillimas Cynicorum in oracula contentiones indicio est de def. or. 7, ubi Cynicus quidam, cui nomen est Didymus Planetiades, Apollinem lacessendo eos qui adsunt vehementer offendit[1]). Supersedeo repetere locos Oenomai huc spectantes, quos iam ille vir doctus collegerit. De una re erravit Wendland. Neque enim Plutarchus, ut Cynicus apud Eusebium (pr. ev. V, 29), quod aequales sui de rebus vilissimis deum consulant, c. 28 vituperat, sed vehementissime probat. Praetera monendum est Epicureos quoque in vates tanquam in fraudulentos praestigiatores invectos esse[2]).

Iam in aperto est Plutarchum hoc libello Delphicum oraculum tueri ab Epicureis et Cynicis. Accedamus tandem ad ipsam defensionem. Paucis summa disputationis delineari potest: Crimina illa quae de ambiguis et pravis oraculis proferantur non in deum cadere, sed solam in Pythiam. Quam tanquam instrumentum divina quidem potestate moveri c. 21, sed divino impetu cum humanis affectionibus coalescente duobus his motibus animae mixturam quandam effici non prorsus divinam. Hac re intellecta oraculorum, quae et praesentibus et praeteritis temporibus data sint, aut obscuritatem aut simplicitatem facillime excusari[3]). Cui argumentationi aliae quoque viliores causae adduntur quae ad illa crimina refutanda pertineant: cf. c. 27 sqq. Haec omnia vereor ut Plutarchus aliunde petiverit. In cap. 29 potissimum nonne agnoscis propriam Plutarchi vocem paternam religionem semper acerrime defendentis?[4]). Quid multa? nonne suae aetatis condicionem ubique respicit[5]), non magis rhetorica dicendi ubertate, quam exquisitis argumentis philosophi disputat? Perspicuum est eum Theoni tacite suam sententiam substituisse et suo Marte philosophari. Gravissimum accedit argumentum. Mirifice enim Ammonii Plutarchi praeceptoris sententiae, qui in altero de def. or. dialogo secundum Plutarchi opinionem manifesto arbitri partes agit[6]), cum Theonis verbis concinunt. Ille c. 8 in Cynicum sic invehitur: Quisquis non voluntate dei censet desiisse oracula, is omnino negat ea instituta esse a deo. Hoc autem Ammonius prorsus absurdum iudi-

---

[1]) Cf. Bernays, 'Luc. u. d. Cyn.' p. 34 et Zeller III 1^3 p. 770^3. Mirum illum consensum Oenomai argumentationis et Plutarchi refutationis si perspexeris, Eusebio (chron. II, 164 Schoene) testanti Oenomaum Plutarchi aequalem fuisse maiorem fidem habebis quam verbis Suidae (s. v. *Οἰνόμαος)* tradenti illum Cynicum *γεγονέναι οὐ πολλῷ πρεσβύτερον Πορφυρίου*. Hoc contendo contra Rohdeum mus. Rhen. 33 p. 171 et Saarmannum de Oenom. Gadar. diss. Tub. 1887 p. 3 sq.

[2]) Cf. Luc. Alex. 17. 25. 61 (v. Usener. Epic. p. 261 sq.).

[3]) Ambiguitatem oraculorum simillime defendit Syrianus Neoplatonicus ap. Ammon. Herm. f. in comm. ad Aristot. de interpr. 7.

[4]) Cf. Volkmann II p. 251 sq. add. de Pyth. or. 18 p. 402^e.

[5]) Cf. capp. 20, 22, 23, 24, 28, 29, 30.

[6]) Cf. capp. 4, 8, 20, 33, 38, 46.

cat: deos sua prudentia id curasse, ut in Graecia incolarum numero iam non florente tot tantum oraculorum domicilia essent quot sufficerent; reliqua vero pristinis temporibus maiore consulentium numero postulata tunc esse supervacanea. Eadem ratione Ammonius c. 46 Cleombrotum et Lampriam castigat, quod eo rem deduxerint, ut divinatio a deis ad genios, a geniis ad terrae exhalationes reiecta sit. Nec sese intellegere, cur homines adeant oracula, si in ipsorum animis insit divinandi vis facile excitanda. Commentorum autem plenam esse fabulam, quae doceat Coretam pastorem casu quodam Delphici oraculi vim detexisse. Immo sibi cogitanti, quantum debuerint Graeci Delphico oraculo, luce clarius videri oraculum *θεῷ καὶ προνοίᾳ*, non *κατὰ τύχην καὶ αὐτομάτῳ* conditum esse. Hanc argumentationem, quam Plutarchum non aliunde arripuisse, sed de suo ingenio Ammonio vindicasse patet, cum ea qua Theo utatur consentire quis est quin perspiciat? Ab utroque opiniones vulgo traditae et publica religione probatae defenduntur.

His omnibus satis perpensis mihi praecipue in illo de Pyth. or. libello Plutarchi ipsius sententia pura et plana videtur exstare. Quid? inquies, daemonologia, quam permultum apud Plutarchum valere in confesso est, nonne ab illo hoc modo prorsus abiudicabitur? Concedo gravissimam hanc esse dubitationem eamque propter fluctuantes Plutarchi sententias difficilem ad expediendum. Nec tamen neglegendum est Chaeronensem, cuius in scriptis sescenties paene daemones occurrunt, fundamentum daemonologiae ipsum labefactare. Quid? quod pravorum daemonum opinio, qua sublata totam daemonologiam corruere de def. or. 16 p. 418[f] statuitur, ab eo ridetur et vanissima existimatur? Hoc ostendunt duo loci, ubi nescio an Xenocratis de pravis daemonibus placito adversetur. Nam in vita Pelop. (c. 21) Thebanorum duces sic ratiocinantur: *οὐ γὰρ τοὺς Τυφῶνας ἐκείνους οὐδὲ τοὺς Γίγαντας ἄρχειν, ἀλλὰ τὸν πάντων πατέρα θεῶν καὶ ἀνθρώπων· δαίμονας δὲ χαίροντας ἀνθρώπων αἵματι καὶ φόνῳ πιστεύειν μὲν ἴσως ἐστὶν ἀβέλτερον, ὄντων δὲ τοιούτων ἀμελητέον ὡς ἀδυνάτων.* Porro Plutarchus, cum de superst. 13 cruenta Carthaginiensium sacrificia insectetur, nocendi vim, quam Xenocrates pravis daemonibus assignaverat, ipse his verbis infringit: *εἰ δὲ Τυφῶνές τινες ἢ Γίγαντες ἦρχον ἡμῶν τοὺς θεοὺς ἐκβαλόντες, ποίαις ἂν ἥδοντο θυσίαις ἢ τίνας ἄλλας ἱερουργίας ἀπῄτουν;* Vix quisquam opinor, qui daemonum opinionem stultiorem quam ut eam accipiat censet, talia philosophorum commenta serio sibi persuaserit. Pia et sincera mente, ut Chaeronensis de Pyth. or. mystica doctrina non imbutus paternam religionem defendendam suscepit, ita in illo de superst. libello superstitionis stirpes evellendas curavit. Accedit, quod hic illic in eius scriptis sceptici ingenii indicia reperiuntur, velut in vitis Cam. 6, Coriol. 38 et in moralibus scriptis de ser. num. 4, 14, de def. or. 37 extr.[1]).

[1]) Volkmann II p. 254 sqq.; Pauly. 'Real-Encycl.' V p. 1775.

Attamen ut Faustus apud Goetheum nostrum exclamat

Daemonen, weiss ich, wird man schwerlich los,

ne Plutarchus quidem eos videtur depellere potuisse. Hoc docent permulti vitarum loci ubi daemones commemorantur. Sed eis locis non tantum quantum Zeller tribuam. Neque enim maior numerus eorum locorum quos attulit (ph. gr. III 1^3 p. 177[6]) ad hanc rem comprobandam quadrat. Satis tritae et vulgares narratiunculae, quae in vitis Dio. 55, Brut. 36, Caes. 69[1]) leguntur haud dubie non ipsi Plutarcho, sed eius fontibus debentur. Praeterea in Cat. min. c. 54 verbis *ὁ Καίσαρος δαίμων* Caesaris ingenium, in vitis Alex. 50, Phoc. 30, Galb. 10, Pericl. 34, de fort. Rom. 11 voce *δαίμων* fatum vel tale quid significatur. Hos daemones tantum abest, ut daemonologiae ascribamus, ut eos ex tumido dicendi genere, quod Plutarchi aetate florebat, originem traxisse statuamus. Duo loci, quos Zeller attulit, restant: Fab. Max. 17 et Dio. 2. Illo loco verba *δαίμονος ἤ θεοῦ τινος ἐμποδὼν στάντος* scriptorem popularem produnt ad vulgarem opinionem se accommodantem, hoc loco concedendum quidem est Plutarchum non improbare *τῶν πάνυ παλαιῶν τὸν ἀτοπώτατον λόγον, ὡς τὰ φαῦλα δαιμόνια καὶ βάσκανα προςφθονοῦντα τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς πράξεσι ἐνιστάμενα ταραχὰς καὶ φόβους ἐπάγει σείοντα καὶ σφάλλοντα τὴν ἀρετήν,* sed aperte Chaeronensis his verbis ad auctoritatem *τῶν πάνυ παλαιῶν* (haud dubie poetarum et philosophorum) tantummodo eam ab rem provocat, ne a vulgari opinione aberrare cogatur. En vides temeritatem et inconstantiam philosophi popularis. Tamen statuendum est senescentem quidem Plutarchum illam daemonologiam abiecissé, siquidem senex illum de Pyth. or. libellum scripsit (cf. supra p. 24[2]). Hoc admonuisse satis habeo, ne Plutarcho ipsi mysticis sive Xenocratis sive aliorum philosophorum studiis initiato, sed non toti addicto nimiam credulitatem tribuamus[2]).

Epimetrum

de Plutarchi *περὶ εἱμαρμένης* qui fertur libello.

Quoniam philosophorum de fato placita artissimis vinculis cum eorum de divinatione doctrina cohaerent, disputatiunculae pauca addere cogor de eo libello, qui *περὶ εἱμαρμένης* in corpore Plutarcheorum scriptorum fertur. Ac nostram de Plutarchi fontibus dissertationem

---

[1]) Brut. 36 = Caes. 69.

[2]) De prodigiis a Plutarcho allatis similem sententiam profert Gréard ('De la morale de Plut.' p. 319).

ille libellus eximie adiuvaret, nisi doctissimi viri eum a Chaeronense gravissimis de causis abiudicassent. Iam Volkmann, cum intellegeret et subtiliorem quandam argumentandi rationem et ipsum scribendi genus a Plutarcho quem quidem novimus quam maxime abhorrere neque eidem adulescentulo[1]) ascribi posse, Benselero huic libro propter leges, quas secutus est Plutarchus in evitando hiatu, aperte neglectas fidem deroganti adstipulatus est[2]). Nolo recoquere quae vir doctus in universum recte disputasse mihi videtur; hoc unum admoneo, quod negare non ausus est doctrinam quae libello contineatur Peripateticis formulis quibusdam exceptis optime concinere cum philosophiae quam Plutarchus foverit et cognitione et studio. Eadem praeceptorum similitudine Zeller (III 2^3 p. 179) ita deceptus est, ut huius libelli argumentationem, quasi sit Plutarcheae doctrinae sincerissimus fons, cum genuinorum librorum argumentis in unam telam conexuerit. Sed inconstanter egit vir doctissimus, qui (l. l. p. 162^2) Volkmanni iudicio comprobato abrogavit libro fidem. Neque alii defuere qui opusculum a Plutarcho abiudicarint. Nam cum Fuhr[3]) usu particularum *τε-καὶ* in Plut. moral. diligentissime examinato ei inter subditicios libros locum assignasset, eiusdem sententiae accessit Gercke, qui artiorem quandam necessitudinem inter illum librum et Nemesii de natura hominis commentationem et Chalcidii in Platonis Timaeum commentarium intercedere recte primus agnovit[4]) et in universum probabiliter exposuit[5]). Nam locis quibusdam in comparationem vocatis evidenter ostendit libelli de fato capp. 1—3 et frustula quaedam sequentium capitum ad verbum concinere cum Chalcidii sermone. Ex locorum conspectu eum libellum quo agitur de fato Chalcidii fontem non esse, quoniam plenior sit commentarii oratio eiusque sententiae iustiore ordine stent, Gercke (l. l. p. 277) generatim iudicans scite quidem collegit, sed, qualis illius operis sit condicio et fides, et brevius et paulo neglegentius exposuit.

Nimirum, si inspicimus tria capita quae libellum incipiunt, statim cognoscimus, Chalcidii commentarium pleniorem esse illo libello. Primo capite desideramus interpretationem nexui rerum necessariam, qua apud Chalcidium *ὁ τῆς Λαχέσεως λόγος* explicatur. Deinde secundo capite non solum Parcarum ordo mutatus est, sed etiam duobus enuntiatis in unum contractis decurtatus sermo. Tum capite tertio locus ille

---

[1]) Verba praefatiunculae *οὐκ ἀγνοῶν ἣν ἔχω πρὸς τὸ γράφειν εὐλάβειαν* imperitiam quandam scribendi prodere recte dixit.

[2]) Cf. Plut. 'Leb. u. Schr.' I p. 146 sqq. Infirmo sane fundamento nisus idem Plutarchi biographus in praefat. l. l. p. XV coniecit scriptorem libelli homonymum Plutarchi Neoplatonicum fuisse, qui quinto p. Chr. n. saeculo Athenis Platonicae scholae praefuerit. Cui Zeller, quia nulla Neoplatonicae doctrinae indicia in libello reperiuntur, suo iure obloquitur III 2^3 p. 749^4.

[3]) Cf. mus. Rhen. 33 p. 590.

[4]) Cf. ann. philol. suppl. XIV p. 645 sq.

[5]) Cf. mus. Rhen. 41 p. 266 sqq.

qui ex Timaeo affertur multo brevior et minus concinnus exhibetur quam apud Chalcidium. Praeterea ea verba horum capitum, quibus commentarius caret, nil sunt nisi ineptissima additamenta, quae nullum ingenii acumen spirant. Huc referenda est praefatiuncula, qua opusculum Pisoni cuidam ab auctore dedicatur. Idem scriptor de suo addidit quae ad disputationes quasdam in schola et habitas et habendas spectant. Porro compilatoris sunt, quae inde a verbis *Δυνάμει μὲν οὖν* secundo capite extremo leguntur. Tertio denique capite enuntiatum a verbis *τίς μὲν οὖν* incipiens et insulsissimum de iteratis hominum occupationibus additamentum[1]) orationis nexum magis turbant quam expediunt. His omnibus circumspectis, cum procul dubio compilatoris vanissimi manus in illo de fato libello agnoveris, quin eum cum Gerckeo a Plutarcho abiudicaturus sis, nullus dubito.

Transeamus nunc ad ea quae Gercke minus recte videtur administrasse. Res enim quasdam quaestioni maxime necessarias silentio praeteriit. Veluti causam quaerere debebat, cur, cum continua fere oratio trium illorum capitum congruat cum Chalcidii Latina versione, reliqui tamen loci qui consentiunt frustula tantum sint neque inter se conexa neque eodem ordine posita. Quam rem cum ne uno quidem verbo tetigerit, idem non explicuit, quomodo factum sit, ut Chalcidii capp. 148—150, 179[2]) et de fato libelli capp. 4, 5 rebus quidem, sed non verbis concinant. Deinde Chalcidii verbis non satis examinatis contendit (l. l. p. 279) commentatorem Timaei carere tripartitione providentiae et deorum, quae in personati Plutarchi c. 9 reperiatur. Utinam paululum circumspexisset! Nam auctor quoque commentarii discernit c. 186 inter tres substantias vel deos, quorum summum iubentem, secundum ordinantem, tertium vaticinantem induxit. Hoc loco, quem Nemesii, Pseudoplutarchi, Apulei locis a Gerckeo (l. l. p. 285 sq.) in comparationem vocatis adiungi optabilius erat, sidera quidem non nominantur ea, quae in mundo gubernando secundum locum obtineant, sed a secundo deo providentia summi dei procreato 'leges utriusque vitae' dari aperte dicitur. Nonne fere idem est, si de fat. c. 9 astris, qui *δεύτεροι θεοί* appellantur, mortalium rerum gubernatio assignatur? Accedit, quod, ut in illo libello tertia providentia est daemonum tanquam *τῶν ἀνθρωπίνων πράξεων φυλάκων καὶ ἐπισκόπων,* ita in commentario tertia substantia daemones 'inspectatores speculatoresque meritorum' continet. Inde luce clarius cognoscitur Chalcidii verba ab auctore de fato libelli adeo non expilata esse, ut ille simpliciorem huius libelli doctrinam additamentis obscurarit. Nam illi tripartitioni deorum addidit, ut ita dicam, dualismum quendam, quo inter 'providentiam summi dei' et 'secundam mentem intellectumque' distinguitur. Quo facto discrimine solum in priores

---

[1]) Cf. Gercke. mus. Rhen. 41 p. 291.

[2]) Quod Wrobelii editio, qua Gercke usus est, mihi praesto non fuit, numeros edit. Mull. (fragm. ph. gr. II) sequor.

duas substantias summa providentia cadit; quod Gerckeo teste (l. l.) Neoplatonicorum est dogma. Itaque alia via progressi idem, quod Gerckeo quoque placuit, demonstravimus Timaei commentarium non fuisse nostri libelli fontem ac nostro Marte contendimus puriorem primarii fontis doctrinam servatam esse a Pseudoplutarcho. Quod quam vere sit dictum, infra docebunt loci Aristotelicum colorem prae se ferentes, quos Gercke nimium neglexit.

Quod denique ad Nemesium attinet, satis dilucide apparet, eum neque a Pseudoplutarcho Chalcidiove exscriptum esse neque alterutrius librum ob oculos habuisse. Nihil igitur habeo, quod Gerckei disputationi addam.

Difficilior est quaestio, unde trium librorum fluxerint praecepta. Mihi quidem Gercke non persuasit haec omnia ex uno eodemque exemplari Platonico, quod secundo p. Chr. n. saeculo scriptum esset, esse sumpta. Concedo Nemesio et Chalcidio fontes praesto fuisse, in quibus iam Platonica cum Stoicis artius coaluissent[1]); sed mihi pronior est opinio a Pseudoplutarcho vetustiores quosdam fontes usurpatos esse, unde Nemesii et Chalcidii doctrina, quae maiorem nec forte fortuna natam similitudinem cum illius verbis prae se ferat, per secundarios fontes manaverit. Nam in libelli fontibus indagandis equidem a Gerckio, qui quamvis caute processerit, tamen imprimis in priore de Chrysippo commentatione Stoicis nimium tribuere mihi videtur, ita dissentio, ut in solis capp. 4—5 magis continua Stoicorum vestigia agnoscam atque libelli doctrinam ex tribus sive Platonicorum sive Stoicorum sive Peripateticorum commentariis haustam esse arbitrer.

Priora tria capita, quae definitionibus ex Platone sumptis referta sunt, quominus ex Academica radice crevisse censeamus, meo quidem iudicio nil obstat. Concedo scilicet Gerckeo simillimas fati definitiones, atque initio operis proferuntur, a Chrysippo quoque frgg. 33, 41—49 adhibitas esse. Sed cum in illis capitibus ne umbra quidem Stoicae terminorum q. d. rationis appareat, cur easdem a Platonicis abiudicemus, nulla est causa. Nonne contra simillimum est veri iam Platonis discipulos de fato disserentes magistri verba ad suam rem comprobandam attulisse et interpretatos esse? Quid?

---

[1]) Inspersa sunt ei narrationi Chalcidii, quae respondet illis tribus de fat. libri capitibus, indicia Stoicae doctrinae. Sicuti c. 142 exeunte Chrysippi de fato doctrina laudatur, Cleanthis improbatur. Accedunt alia in proximis capitibus. Stoicam fortasse mentem spirant verba, quibus c. 152 ex Platonis Phaedro p. 248c concluditur: Socratis animam perseverare ad alterius circuitus tempus incolumem. (Cf. Zeller III 1^3 p. 202). Quin etiam Chrysippi, ni fallor, argutiis admissis dira fati necessitas cum Lai liberi arbitrii potestate coniungitur. (Cf. fragm. Chrys. 94. 95). Nolim tamen opineris exstare puram Stoicorum doctrinam, quandoquidem c. 152 Philonis Iudaei more scripturae sacrae praeceptum quoddam cum Graecorum philosophorum doctrina commixtum est.

si disputasse de fato Academicos evincitur? Xenocratem saltem scripsisse peculiarem *περὶ εἱμαρμένης* librum Laertius Diogenes IV, 2, 11 testatur. Age porro non poteris in ea re Gerckeo assentiri, quod arbitratur illo capitis 3 loco, qui ex Platonis Timaeo affertur, solam posse Stoicorum rationem *τὴν ἀποκατάστασιν* docentium exponi. Nam cum longos temporum circuitus, quibus peractis omnia revolverentur et reverterentur, praeter Heraclitum iam Pythagorei docuerint[1]) similiaque etiam Aristoteli placuerint (meteorol. I, 14 p. 352a 29 sqq.[2]), non multum abest suspicio, quin imprimis Academici pythagorissantes ex laudato Timaei loco eandem doctrinam extricaverint et cum sua de fato doctrina coniunxerint. His Gerckei argumentis labefactis nulla inveniuntur Stoicis propria. Immo gravissimum Academicae doctrinae indicium ex trium Parcarum mentione repetere mihi videor. Iam Plato his atris sororibus locum non spernendum in ordine rerum assignavit de republ. X p. 617c, cum Lachesin praeteritas, Clotho praesentes, Atropon futuras res praenuntiantes induxit. Tria harum dearum nomina apud Xenocratem Platonis discipulum recurrunt praecipue tripartitionem quandam in deliciis habentem[3]). Nam tres esse cognitionis et perceptionis naturas docuit philosophus Academicus ap. Sext. Emp. adv. math. VII 147—149: unam sensibilem, alteram intellegibilem, tertiam opinabilem, quas a tribus Parcis, ab Atropo intellegibiles res, a Clothone sensibiles, a Lachesi opinabiles gubernari autumavit. Nec tamen opinor mero casu accidit, ut eadem Parcarum nomina ad triplicem distributionem mundi explanandam in eis Plutarchi narrationibus adhibeantur[4]), in quibus Xenocrateam scientiam latere suo loco iam suspicati sumus. Nec minoris momenti est, quod Plutarchus de mundo in tres partes diviso agens in quaest. conv. IX, 14, 4 haud dubie talem doctrinam Academicam ante oculos habuit, qualem libelli de fato auctor c. 2 in suum usum convertit. Hoc quo iure contendam, disces ex horum locorum comparatione:

quaest. conv.: *τοῦ κόσμου τριχῇ πάντα νενεμημένου, πρώτην μὲν εἶναι τὴν τῶν ἀπλανῶν μερίδα, δευτέραν δὲ τὴν τῶν πλανωμένων, ἐσχάτην δὲ τὴν τῶν ὑπὸ σελήνην. . . . ἑκάστης φύλακα Μοῦσαν εἶναι, τῆς μὲν πρώτης ὑπάτην, τῆς δ' ἐσχάτης νεάτην, μέσην δὲ τὴν μεταξὺ συνέχουσαν ἅμα καὶ συνεπιστρέφουσαν, ὡς ἀνυστόν ἐστι, τὰ θνητὰ τοῖς θεοῖς καὶ τὰ περί-*

de fato: *ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ τριχῇ διανεμηθεῖσα εἴς τε τὴν ἀπλανῆ μοῖραν καὶ εἰς τὴν πλανᾶσθαι νομιζομένην καὶ τρίτην εἰς τὴν ὑπουράνιον τὴν περὶ γῆν ὕπαρχουσαν, ὧν ἡ μὲν ἀνωτάτω Κλώθω προσαγορεύεται, ἡ δὲ μετ' αὐτὴν Ἄτροπος, ἡ κατωτάτω δ' αὖ Λάχεσις, δεχομένη μὲν τὰς οὐρανίας τῶν ἀδελφῶν ἐνεργείας, συμπλέκουσα δὲ καὶ διαδιδοῦσα ταύτας*

---

1) Cf. Zeller III 1^3 p. 155^1 I^4 p. 411. Quod Gercke ipse concessit (mus. Rhen. 41 p. 291).

2) Cf. Siebeck. 'Untersuch. z. Phil. d. Griech.'[2] p. 207. 250 sqq.

3) Cf. Krische, 'Forsch.' I p. 324; Diels, act. acad. litt. Berol. 1883 p. 479 ('Üb. d. exoter. Red. d. Aristot.').

4) Cf. de fac. 30 p. 945c; de daem. Socr. 22 p. 591b.

γεια τοῖς οὐρανίοις. Ὡς καὶ Πλάτων ᾐνίξατο τοῖς τῶν Μοιρῶν ὀνόμασι, τὴν μὲν Ἄτροπον, τὴν δὲ Λάχεσιν, τὴν δὲ Κλωθὼ προσαγορεύσας·

εἰς τὰ ὑπ' αὐτῆς τεταγμένα τὰ ἐπίγεια . . . . τὰ δὲ καθ' ἕκαστα περὶ τούτων ὁ ἕτερος μῦθος ὁ ἐν τῇ Πολιτείᾳ μετρίως αἰνίττεται.

His locis examinatis non vana tibi videbitur suspicio illam libelli doctrinam ex Academici cuiusdam scriniis, qui floruerat ante Plutarchum, haustam esse. Hoc contra Gerckeum contendo, qui (mus. Rhen. l. l. p. 279) illum Platonicum, ad quem redirent et Pseudoplutarchus et Chalcidius, ante Traianum fuisse negavit. Quae cum ita sint, Parcarum mentionem maiore cum probabilitatis specie ex vetere Academica quam ex Stoica disciplina in eum libellum de quo agimus manasse persuasum habeo. Quod vero Chrysippus in eandem doctrinam inclinavit, hac re denuo comprobatur, quam artis vinculis Porticus et vetus Academia coniunctae fuerint (cf. supra p. 11[4]).

His peractis accedamus ad ultima nostri libelli capita 9—11 aperte eandem Academicam mentem spirantia. Ibi tripartita inducitur providentia: prima et suprema est cogitatio et voluntas summi dei, qua singulae divinae res optime et pulcherrime ordinatae sint; altera est penes deos secundi ordinis per caelum vagantes, qua mortalium res gubernentur; tertia est providentia et procuratio geniorum, qui terram propius collocati res hominum curent eosque custodiant. Huius disputationis summa unde pendeat, docet testimonium simillimi Nemesii loci (de nat. hom. 44 p. 176 sq.), quo disertis verbis eadem placita ad Platonem referuntur. Potuit profecto hanc doctrinam Academicus aliquis invenire in Timaeo (p. 38 sq.), ubi summus mundi procreator a caelestibus deis discernitur et (p. 40[d]) daemones strictim commemorantur. Nec praetermittendum est subditiciae epinomidis scriptorem ad mundanam animam, quam pro illo summo deo substituit, et ad caelestes deos et ad daemones omnem religionem revocasse (cf. epin. p. 984[cd]). Porro memoriam repraesenta Stobaei testimonii (ecl. I, 1, 29[b]) a nobis iam saepe vexati. Nam nemo non videbit in Chalcedonii verbis *τὴν μονάδα . . . ὡς ἄρρενα πατρὸς ἔχουσαν τάξιν, ἐν οὐρανῷ βασιλεύουσαν, ἥντινα προσαγορεύει καὶ Ζῆνα καὶ περιττὸν καὶ νοῦν, ὅστις ἐστὶν αὐτῷ πρῶτος θεός· . . . Θεὸν δ' εἶναι καὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἀστέρας πυρώδεις Ὀλυμπίους θεούς, καὶ ἑτέρους ὑποσελήνους δαίμονας ἀοράτους* quodammodo inesse eandem doctrinam. Certe quidem placita philosophi cuiusdam, qui prorsus pendeat a Platone, in eis libelli capitibus de quibus disputamus inveniri testes sunt non pauci ipsius Platonis loci, quibus illa providentiae tripartitio confirmatur. Nec tamen fieri potuisse infitiabimur, ut his genuinis Academicorum praeceptis alienae sapientiae frustula immiscerentur. Veluti Zeller (III 2[3] p. 180[2]) discrimini, quod inter *πρόνοιαν, εἱμαρμένην, φύσιν* intercedere c. 9 statuitur, Cleanthis doctrinam subesse coniecit et Gercke (l. l. p. 281) ad eundem subdifficilem locum interpretandum decretum quoddam Posidonii adhibuit. Sed semper tenendum est nos ignorare, num forte iam in veteris Academiae libris temporum invidia

nobis ereptis similia decreta multum valuerint. Quid? quod cap. 11 aperte eorum Stoicorum doctrina, qui censebant omnia fato fieri, impugnatur? Gercke scilicet l. l. p. 288, ne de sua sententia demoveatur, suspicatur, illam Stoicorum oppugnationem manasse ex recentioris Porticus studio severa vetustiorum dogmata leniendi et mutandi.

Vertamus nunc ad Stoicorum certiora vestigia, quae in cap. 4 inesse negari nequit. Ante Gerckeum iam Zeller (III 1^3 p. 164^2) intellexit pleraque *τῶν πολλῶν ζητημάτων φυσικῶν τε καὶ ἠθικῶν καὶ διαλεκτικῶν*, qualia cap. 3 attinguntur et sequentibus capitibus solvuntur, a Stoicis tractata esse. Et Chrysippus quidem distinxit inter *εἱμαρμένα* et *συνειμαρμένα*, de quibus cap. 4 agitur (fragm. Chrys. 115—118. cf. Zeller III 1 p. 168). Quin etiam fati definitio, quae eodem capite exeunte exhibetur, cum Chrysippea bene concinit (cf. fragm. Chrys. 41—44, 46, 50).

Quod ad cap. 5 attinet, ne hoc quidem discrepat a Stoicorum sophismatis. Nam ibi docetur non omnia fato fieri, sed omnia fato contineri (cf. Cic. de fat. 12, 28 sq.; Zeller III 1^3 p. 167 sqq.). Simile decretum cap. 6 exstare Gercke haud inscite admonuit (cf. Chrysipp. p. 696). Hactenus de opusculi Stoicis vestigiis.

Agmen locorum quos excerptos esse putamus claudant frustula ex Peripateticis scriniis direpta. Nam capitibus 6—8 colorem Aristotelicum impressum esse nemo, qui aliquantisper in huius philosophi scribendi genus se insinuaverat, adhuc negavit. Ut gravissima attingam, quis non perspiciet ea scatere notissimis Aristotelis formulis, quales sunt: *τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ δυνατόν, τὸ ἐνδεχόμενον, ἡ δύναμις, ἡ οὐσία, ἡ ὕλη, τὸ ἀντικείμενον, ἐπὶ τὸ πολύ, ἐπ' ἔλαττον, ἐπ' ἴσης*? Praeterea verba p. 570[e], quae paene ad verbum a Nemesio (l. l. 34 p. 136) repetuntur, in memoriam revocant Aristotelis de materia et forma doctrinam. Quid? apertiora summi philosophi vestigia nonne accuratius intuenti ubique obviam fiunt? Ne multus sim in re simplici, haec frustula sive cum sensu verborum Stagiritae sive cum ipsis verbis congruentia comparabo.

de fato 6: *τὸ γινόμενον ἅπαν καὶ ἡ γένεσις αὐτὴ οὐ δίχα δυνάμεως, ἡ δὲ δύναμις οὐκ ἄνευ οὐσίας. Οἷον ἀνθρώπου εἴτε γένεσις εἴτε γενητὸν οὐκ ἄνευ δυνάμεως· αὕτη δὲ περὶ ἄνθρωπον, οὐσία δὲ ὁ ἄνθρωπος. Ἀπὸ δὲ τῆς δυνάμεως μεταξὺ οὔσης ἡ μὲν οὐσία δυνάμενον, ἡ δὲ γένεσις καὶ τὸ γινόμενον ἄμφω δυνατά. . . .*	Aristot. metaph. VIII p. 1049 b 24 sq.: *ἀεὶ γὰρ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος γίγνεται τὸ ἐνεργείᾳ ὂν ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντος, οἷον ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου.... Εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ τῆς οὐσίας λόγοις, ὅτι ἅπαν τὸ γιγνόμενον γίγνεται ἐκ τινός τι καὶ ὑπό τινος, καὶ τοῦτο τῷ εἴδει τὸ αὐτό.*
Τῶν δὲ δυνατῶν τὰ μὲν οὐκ ἂν κωλυθείη ποτέ, ὥσπερ τὰ κατ' οὐρανὸν ἀνατολαὶ καὶ δύσεις καὶ τὰ τούτοις	eth. Nicom. III 5 p. 1112 a 21 sq.: *Περὶ δὲ τῶν ἀϊδίων οὐδεὶς βουλεύεται, οἷον περὶ τοῦ κόσμου ἢ*

παραπλήσια· τὰ δὲ οἷά τε κωλυθῆναί ἐστιν, ὡς πολλὰ μὲν τῶν ἀνθρωπίνων, πολλὰ δὲ καὶ τῶν μεταρσίων. Τὰ μὲν οὖν πρότερα ὡς ἐξ ἀνάγκης γινόμενα ἀναγκαῖα προσαγορεύεται· ἃ δὲ πρὸς τοὐναντίον ἐπιδέχεται ἐνδεχόμενα. Ἀφορίζοιτο δ' ἂν καὶ ταῦτα· τὸ μὲν ἀναγκαῖον δυνατὸν τὸ ἀντικείμενον ἀδυνάτῳ· τὸ δὲ ἐνδεχόμενον δυνατόν, οὗ καὶ τὸ ἀντικείμενον δυνατόν. Τὸ μὲν γὰρ καταδῦναι τὸν ἥλιον ἀναγκαῖόν τε ἅμα καὶ δυνατόν· ἀντίκειται ἀδύνατον τὸ μὴ καταδῦναι· τὸ δὲ καταδύντος ἡλίου ὄμβρον γενέσθαι καὶ μὴ γενέσθαι ἀμφότερα δυνατὰ καὶ ἐνδεχόμενα. Πάλιν δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἐνδεχομένου, τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δὲ ὡς ἐπ' ἔλαττον, τὸ δὲ ὡς ἐπίσης, καὶ ὁπότερον ἔτυχεν· τοῦτο μὲν φανερὸν ὡς αὐτὸ αὐτῷ ἀντιτέτακται· τὸ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ ἐπ' ἔλαττον ἀλλήλοις· καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τῇ φύσει τὸ πλεῖστον, ἐφ' ἡμῖν τε τὸ ἐπίσης. Τὸ μὲν γὰρ ὑπὸ κύνα καῦμα ἢ ψῦχος, ὧν τὸ μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δ' ὡς ἐπ' ἔλαττον, τῇ φύσει ἄμφω ὑποτέτακται· τὸ δὲ περιπατεῖν καὶ μὴ καὶ ὅσα τοιαῦτα, ὧν ἑκάτερον ἐπὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ ὁρμῇ ὑποτέτακται, ὃ δὴ ἐφ' ἡμῖν καὶ κατὰ προαίρεσιν λέγεται. Γενικώτερον δὲ μᾶλλον τὸ ἐφ' ἡμῖν· δύο γὰρ εἴδη τό τ' ἐκ πάθους καὶ θυμοῦ ἢ ἐπιθυμίας τό τ' ἐξ ἐπιλογισμοῦ ἢ διανοίας, ὅπερ ἤδη κατὰ προαίρεσίν τις εἴποι.

τῆς διαμέτρου καὶ τῆς πλευρᾶς, ὅτι ἀσύμμετροι· ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν ἐν κινήσει, ἀεὶ δὲ κατὰ ταὐτὰ γιγνομένων, εἴτ' ἐξ ἀνάγκης εἴτε καὶ φύσει ἢ διά τινα αἰτίαν ἄλλην, οἷον τροπῶν καὶ ἀνατολῶν· οὐδὲ περὶ τῶν ἄλλοτε ἄλλως, οἷον αὐχμῶν καὶ ὄμβρων· οὐδὲ περὶ τῶν ἀπὸ τύχης, οἷον θησαυροῦ εὑρέσεως.

metaph. X, 8 p. 1064 b 30 sqq.: *Ὅτι δ' οὐδ' ἐνδεχόμενόν ἐστιν εἶναι τοῦ συμβεβηκότος ἐπιστήμην, φανερὸν ἔσται πειραθεῖσιν ἰδεῖν τί ποτ' ἐστὶ τὸ συμβεβηκός. Πᾶν δή φαμεν εἶναι τὸ μὲν ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης ...., τὸ δ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, τὸ δ' οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οὔτ' ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ὅπως ἔτυχεν· οἷον ἐπὶ κυνὶ γένοιτ' ἂν ψῦχος, ἀλλὰ τοῦτ' οὔθ' ὡς ἀεὶ καὶ ἐξ ἀνάγκης οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνεται, συμβαίη δὲ ποτ' ἄν.* (cf. phys. II, 8 p. 199 a 1 sqq.).

eth. ad Nicom. III 4 p. 1111 b 29 sq.: *ὅλως γὰρ ἔοικεν ἡ προαίρεσις περὶ τὰ ἐφ' ἡμῖν εἶναι.*

ibid. p. 1112 a 15 sq. *ἡ γὰρ προαίρεσις μετὰ λόγου καὶ διανοίας.*

In his rebus investigandis felix inventum me docuit maiorem partem cap. 7 ex Aristotelis physic. libro II consutam esse.

de fato 7. *Περὶ δὲ τῆς τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου, καὶ εἴ τι παρὰ ταῦτα θεωρεῖται, νῦν ἡμῖν λεκτέον. Αἴτιον μὲν δὴ ἡ τύχη. Τῶν δ' αἰτίων τὰ μὲν καθ' αὑτά τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκός· οἷον, οἰκίας ἢ νεὼς καθ' αὑτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικὸν καὶ τὸ ναυπηγικόν· κατὰ*

phys. II. 4. p. 195 b 31: *Λέγεται δὲ καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον τῶν αἰτίων κτλ.*

ibid. 5. p. 196 b 21 sqq.: *Ἔστι δ' ἕνεκά του ὅσα τε ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως. Τὰ δὴ τοιαῦτα, ὅταν κατὰ συμβεβηκὸς γένηται, ἀπὸ τύχης φαμὲν εἶναι· ὥσπερ*

συμβεβηκὸς δὲ τὸ μουσικὸν ἢ γεωμετρικὸν καὶ πᾶν, ὅ τι ἂν τῷ οἰκοδομικῷ ἢ ναυπηγικῷ εἴδει συμβεβήκῃ, εἴτε κατὰ σῶμα, εἴτε κατὰ ψυχήν, εἴτε κατὰ τὰ ἐκτός. Ὅθεν καὶ δῆλον ὡς τὸ καθ' αὑτὸ ὡρισμένον καὶ ἕν, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς οὐχ ἕν τε καὶ ἀόριστον· πολλὰ γὰρ καὶ ἄπειρα τῷ ἑνὶ ὑπάρχει παντάπασιν ἀλλήλων διαφέροντα. Τὸ μέντοι κατὰ συμβεβηκός, ὅταν μὴ μόνον ἐν τοῖς ἕνεκά του γίγνηται, ἀλλὰ καὶ ἐν οἷς ἡ προαίρεσις, τότε δὴ καὶ τὸ ἀπὸ τύχης προσαγορεύεται· οἷον τὸ εὑρεῖν χρυσίον σκάπτοντα, ἵνα φυτεύσῃ, ἢ παθεῖν τι ἢ δρᾶσαι τῶν παρὰ τὸ ἔθος φεύγοντα ἢ διώκοντα ἢ ἄλλως βαδίζοντα ἢ αὐτὸ μόνον ἐπιστραφέντα, οὐ τούτου ἕνεκα, ὅπερ συνέπεσεν, ἀλλ' ἑτέρου τινὸς χάριν. . . . . Τὸ δ' αὐτόματον ἐπὶ πλεῖον τῆς τύχης· εἰ γὰρ καὶ αὐτὴν περιλαβὸν ἔχει, καὶ πολλὰ τῶν ἄλλοτε ἄλλως συμπίπτειν πεφυκότων. Ἔστι δὲ κατ' ὄνομα, ὅπερ αὐτόματον λέγεται τὸ πεφυκὸς ἄλλου ἕνεκα, ὅταν μὴ ἐκεῖνο παρ $_{**}$ ἐπεφύκει· οἷον δοκεῖ τὸ ὑπὸ κύνα ψῦχος. Ποτὲ γὰρ ψῦχος οὐ μάτην οὐδὲ $_{***}$[1]). Τὸ δὲ ὅλον, ὡς τὸ ἐφ' ἡμῖν μέρος τοῦ ἐνδεχομένου, οὕτως ἡ τύχη τοῦ αὐτομάτου. Ἔστι δὲ ἑκατέρου ἑκάτερον σύμπτωμα· τὸ μὲν αὐτόματον τοῦ ἐνδεχομένου· ἡ δὲ τύχη τοῦ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τούτου οὐχ ἅπαντος, ἀλλ' ὅπερ ἂν καὶ κατὰ προαίρεσιν ᾖ, ὡς προείρηται. Διὸ καὶ τὸ μὲν αὐτόματον κοινὸν ἐμψύχων τε καὶ ἀψύχων· ἡ δὲ τύχη ἴδιον ἀνθρώπου ἤδη πράττειν δυναμένου. Τεκμήριον δὲ ὅτι τὸ εὐτυχεῖν καὶ εὐδαιμονεῖν ταὐτὰ εἶναι δοξάζεται· γὰρ καὶ ὂν ἐστι τὸ μὲν καθ' αὑτό, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, οὕτω καὶ αἴτιον ἐνδέχεται εἶναι, οἷον οἰκίας καθ' αὑτὸ μὲν αἴτιον τὸ οἰκοδομικόν, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸ λευκὸν ἢ τὸ μουσικόν. Τὸ μὲν οὖν καθ' αὑτὸ αἴτιον ὡρισμένον, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἀόριστον· ἄπειρα γὰρ ἂν τῷ ἑνὶ συμβαίη· καθάπερ οὖν ἐλέχθη, ὅταν ἐν τοῖς ἕνεκά του γενομένοις τοῦτο γένηται, τότε λέγεται ἀπὸ ταὐτομάτου καὶ ἀπὸ τύχης. ibid. p. 197a 5 sqq. Δῆλον ἄρα ὅτι ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν τῶν ἕνεκά του.

metaph. IV, 30 p. 1025a 14: Συμβεβηκὸς λέγεται ὃ ὑπάρχει μέν τινι καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐ μέντοι οὔτ' ἐξ ἀνάγκης οὔτ' ἐπὶ τὸ πολύ, οἷον εἴ τις ὀρύττων φυτῷ βόθρον εὗρε θησαυρόν κτλ.

phys. II, 5 p. 197a 17: Καὶ γὰρ ἰδεῖν τινα βουλόμενος καὶ διώκων καὶ φεύγων.

ibid. 6 p. 197a 36 sq.: Διαφέρει δ' ὅτι τὸ αὐτόματον ἐπὶ πλεῖόν ἐστι· τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τύχης πᾶν ἀπὸ ταὐτομάτου, τοῦτο δ' οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης. ibid. p. 197b 29. οὕτω δὴ τὸ αὐτόματον καὶ κατὰ τὸ ὄνομα, ὅταν αὐτὸ μάτην γένηται.

ibid. p. 197b 22 sqq.: Σημεῖον δὲ τὸ μάτην, ὅτι λέγεται, ὅταν μὴ γένηται τῷ ἕνεκα ἄλλου ἐκεῖνο οὗ ἕνεκα[2]), οἷον τὸ βαδίσαι λαπάξεως ἕνεκά ἐστιν· εἰ δὲ μὴ ἐγένετο βαδίσαντι, μάτην φαμὲν βαδίσαι καὶ ἡ βάδισις ματαία, ὡς τοῦτο ὂν τὸ μάτην, τὸ πεφυκὸς ἄλλου ἕνεκα, ὅταν μὴ περαίνῃ ἐκεῖνο οὗ ἕνεκα ἐπεφύκει κτλ.

---

[1]) Hunc locum iam Wyttenbach, ut nunc demum video, ex Aristotele sumptum esse perspexit (ad l. l.). Nam Stagiritae contextu supposito legi iussit: *Ἔστι δὲ κατ' ὄνομα ὅπερ αὐτὸ μάτην γένεται· ὅταν τὸ πεφυκὸς ἄλλου ἕνεκα μὴ ἐκεῖνο περαίνῃ, οὗ ἕνεκα ἦν καὶ ἐπεφύκει· οἷον δοκεῖ τὸ ὑπὸ κύνα ψῦχος· τότε γὰρ τὸ ψῦχος μάτην οὐδὲ ὅτε πέφυκε γέγονεν. Τὸ δὲ ὅλον κτλ.*

[2]) Hanc scripturam comprobavit Bonitz (stud. Aristot. I p. 40 sq.).

ἡ δὲ εὐδαιμονία εὐπραξία τις· ἡ δ' εὐπραξία περὶ μόνον καὶ τέλειον ἄνθρωπον.

ibid. p. 197 b 13 sqq.: *Τὸ δ' αὐτόματον καὶ τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ πολλοῖς τῶν ἀψύχων κτλ.*

ibid. p. 197 b 1 sqq.: *ἡ μὲν γὰρ τύχη καὶ τὸ ἀπὸ τύχης ἐστὶν ὅσοις καὶ τὸ εὐτυχῆσαι ἂν ὑπάρξειν καὶ ὅλως πρᾶξις· διὸ καὶ ἀνάγκη περὶ τά πρακτὰ εἶναι τὴν τύχην· σημεῖον δ' ὅτι δοκεῖ ἤτοι ταὐτὸν εἶναι τῇ εὐδαιμονίᾳ ἡ εὐτυχία ἢ ἐγγύς, ἡ δ' εὐδαιμονία πρᾶξίς τις· εὐπραξία γάρ.*

His frustulis ex Peripateticorum thesauris deprompis et conglutinatis inserta est (p. 572[b]) fortunae definitio Stoica haec: *ἀπρονόητος αἰτία καὶ ἄδηλος ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ* (cf. Aet. I, 29, 7 Diels. p. 326, v. Zeller III 1^3 p. 143[3]). Huic addita est definitio, quae diserte Platonicis adscribitur et Platonis verbis ex Phaedone (p. 58[a]) sumptis illustratur. Eadem mire cum antecedenti Stoica et Aristotelica (Aet. I, 29, 1) congruit.

Haec omnia satis confirmant opusculi auctorem philosophorum praecepta undique furatum esse et compendium paene ad verbum corrasisse. Quae cum ita sint, in propatulo est nostrum quem quidem novimus Plutarchum istud non conscripsisse. Hic subsistamus, ne in incerta dilabamur.

VITA

Lipsiae a. d. XV Kal. Febr. anni h. s. LXIV lucem adspexi patre natus Guilelmo Schmertosch, quem mihi puerulo eripuit fatum, matre Henrietta de gente Kloberg, quam adhuc superstitem esse valde gaudeo. Elementis litterarum imbutus per novem annos scholam Thomanam patriae urbis frequentavi. Ibi anno LXXXIV maturitatis testimonio accepto adscriptus sum civibus Academicis et, postquam per unum annum militiae rudimenta deposui, novo litterarum ardore inflammatus philologis studiis me dedidi. Docuerunt me illustrissimi viri *Crusius, Curtius, Heinze, Hildebrand, Kögel, Lipsius, Ribbeck, Richter, Rohde, Voigt, Wachsmuth, Wundt, Zarncke.* Regii seminarii philologi, quod regunt *Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth,* sodalis ordinarius et seminarii Germanici, cui praesunt *de Bahder* et *Zarncke,* sodalis extraordinarius fui per tria semestria. Paedagogico seminario, quod moderatur *Richter,* per duo semestria interfui et etiamnunc intersum. In societates philologas benigne me receperunt *Lipsius, Ribbeck, Rohde, Wachsmuth.*

Quibus viris doctissimis gratias quam maximas ago semperque agam, imprimis *Wachsmuthio,* qui mea studia maxime fovit. Ac meritam gratiam *Heinzeo* quoque refero, qni me in bibliotheca universitatis Lipsiensis frustra libros quaerentem sua librorum copia benevole adiuvit. Denique nunquam immemmor ero, quantopere socii contubernii philologi et litterarum et familiaritatis usu semper me delectarint.